

16-6-7

A  
12  
157

0  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22

B. BRISONII


IC, ET IN

Don Gaspar de E. Fremon  
Don Gaspar de E. Fremon

Handwritten flourishes and decorative elements, including several loops and swirls.

B. BRISSONII  
I. C. ET IN SVPRE-  
MA PARIENSI CVRIA  
ADVOCATI, DE IVRE CONVBIORVM  
LIBER SINGVLARIS.

*Ad Amplissimum Clarissimumque virum Michaelem Hospitalium  
summum Gallie Cancellarium.*



*De Don Gaspar Carlos de Estremera Arjona*

PARISIIS,  
In Ædibus Rouillij via Iacobæa, sub signo Concordiæ.

1564.

Cum Privilegio Regis.





B. BRISSONII I. C. ET IN SVPRE-  
MA PARISIENSI CVRIA ADVOCATI, DE  
IVRE CONVBIORVM LIBER SINGVLARIS.



OLLEMNES nuptiarum ritus  
ita sunt à me proprio libro ex-  
positi, vt vix quicquam ad ple-  
nâ & perfectam eius argumen-  
ti cognitionem iure ac merito  
desiderari posse videatur. Huic  
consequens duxi, alterum de  
iustis iniustisque Quiritium nu-  
ptiis librum adiungere. Superi-  
ori enim tractatui, hoc veluti  
cumulo addito, iuris ciuilis &  
antiquitatis Romanæ studio-

sis, hac in parte satisfactum iri arbitror: quibus non modò, quo  
ritu, sed & inter quas personas olim iustæ ac legitimæ nuptiæ  
contraherentur, vtriusque libri cõiunctione planum fiet. Atque  
vt via & arte procedat oratio, à qua ætate iustæ nuptiæ con-  
traherentur, primum dispiciendum esse censeo. Nam cum nu-  
ptiis habilem ætatem constituerimus, ad alias inspectiones ve-  
niemus: & ad certa veluti capita omnia nuptiarum impedi-  
menta reuocantes, facilem, ni fallor, lectoribus eius quæstio-  
nis quam tractandam suscepimus, cognitionem relinquemus.  
Igitur, vt ab ætate ordiamur, in matrimoniis contrahendis  
ætatem contrahentium definitam esse. Modestinus lib. iij. dif-  
ferentiarum scribit. \* Ea verò definita ætas pubertas est, vel  
ipso Iustiniano teste, qui iustas nuptias inter se ciues Romanos  
contraxisse tradit, \* qui secundum præcepta legum coibant:  
masculos quidem puberes, feminas autem viri potentes. Cui  
accedere Dionis testimonium velim, qui lib. liij. ita scribit.  
δωδέκα γὰρ ταῖς κόραις ἐς τὴν γάμου ὥραν ἔτι πλήρη νομίζονται.

1. l. in spōsa  
libus. D. de  
ritu nupt.  
2. Institut.  
de nupt. in  
princ.

3. in Numa

A duodecimo siquidem anno pubertatem feminas auspicari prudentibus placuit: ex eoque tempore Romæ puellæ nuptum dabantur: Id quod ea ratione factum Plutarchus interpretatur, <sup>3</sup> vt celerius coniugum mores tenella adhuc ætate imbiberent, & ad obsequium virorum facilius flecti fingique possent. Aliter atque Sparta seruabatur, in qua adultiores demum virgines, & plenis nubiles annis, viris in matrimoniū collocabantur. Verba Plutarchi, quæ hæc institutorum vtriusque gentis diuersitatem declarant, hæc sunt. Τοῦ μὲν Λυκούργου πεπεύροις καὶ ὀργάσαις νυμφεύοντος, ὅπως ἢ τε ὁμιλία δεομένης ἢ δι τῆς φύσεως χείροτος ἢ καὶ φιλίας ἀρχῆ μᾶλλον ἢ μίσεως καὶ φόβου ὡς φύσιν βιαζομένην, καὶ τὰ σώματα ῥαμίω ἔχει πρὸς τὸ τὰς κνήσας ἐπιφέρειν, καὶ τὰς ἀδίναις, ὡς ἐστὶ ἕθεν ἄλλο γαμουκύνων ἢ τὸ τῆς τεκνώσεως ἔργον. τῆ δὲ ῥαμύων δωδεκαετείς καὶ νεωτέρας ἐκιδιδόντων, οὕτω γὰρ αἱ μάλιστα καὶ τὸ σῶμα καὶ τὸ ἦθος καθαρόν καὶ ἀθικτόν ἐπι τῷ γαμουῦ π γενέσθαι. δῆλον οὖν ὅτι τὰ μὲν φυσικώτερον πρὸς τεκνώσιν, τὰ δὲ ἠθικώτερον πρὸς συμβίωσιν. Ex eo verò tempore pubertatem in feminis legibus definitam, quòd generationi essent ab eo anno aptæ, Macrobius lib. vij. Saturnalium ita scribit. *Nec hoc tacebo, ait, quod cum calor semper generationis causa sit, femine ideo, celerius quàm pueri, sunt idoneæ ad generandum, quia calent amplius. Nam & secundum iura publica duodecimus annus in foeminis, quartus-decimus in puero definiunt pubertatis ætatem.* Idemque auctor lib. j. Commentarior. in Somn. Scipionis. Post annos bis septem generationis vim in masculis moueri scribit. Ideoque & tutelam pueris quasi virile iam robur adfit, absolui: ab ea tamen foeminas, propter votorum festinationem, maturius biennio, legibus liberari. Aristoteles quoque his consentiens lib. vij. *Ἐπὶ ζῶων ἰσορίας, τὰ θήλια γὰρ τὸν τῆς ἀρρένων καὶ νεότητα καὶ ἀκμὴν λαμβάνειν* tradit. Indèque testamenta feminis citius quàm masculis facere licet. <sup>4</sup> Cæterum si minor xij. annis domum pro vxore deducta esset, non ante iusta & legitima vxor fiebat quam apud virum duodecimum annum impleisset. <sup>5</sup> Sed nec prius à viro dōs eius nomine promissa peti poterat. Nam cum omnis dotis promissio tacita futuri matrimonij conditione suspendatur, <sup>6</sup> ante duodecim annorum ætatem nondum vtiliter secuto matrimonio, dotis petitio viro non competebat.

4. l. A qua ætate D. de testament. 5. l. Mino rem. D. de ritu nuptiarum. 6. l. dotis promissio. D. de iure dotium.

Quapropter si ante impletum duodecimum annum repudiata conditione discessisset, pecuniæ in causam dotis numeratæ, quæ dos fieri nuptiis minime secutis non potuerat, exemplo dotis conditio ei dabatur, cum iisdem tamen priuilegiis, quæ actioni de dote concedebantur. At cum apud virum maior xij. annis esse cœperat, tum matrimonio subsistente, in dotem pecunia numerata vertebatur. Interim verò dum pubertas coniugis expectabatur, siquidem sponsalia intercessissent, quamuis vxorem putaret esse qui duxerat, sponsæ tamen vice ea habebatur, <sup>7</sup> eique vitium oblatum maritus sponsi loco persequi ex Seueri rescripto poterat <sup>8</sup>. Quod si sponsalia nõ antecessissent, nec pro sponsa nec pro vxore haberi poterat. Nec eo magis donationes ei factæ valebant, vt potè quæ quasi ad vxorem non quasi ad extraneam factæ essent. Quamquã autem nuptiæ cū minore. xij. annis non cõsisterent, in patrem tamen qui filiam minorem duodecim annis nuptum collocasset, auctõrque ei factus esset ad contrahendum, actio in factum ex edicto Quod falso tutore auctore gestum est, nõ dabatur. <sup>6</sup> Ignoscendū enim patri prudentes censuere, si filiam suam maturius in viri familiam perducere voluerit. Præsumptū est quippe propèiori potius in filiam affectu quàm viri in fraudem illiciendi causa, huiusmodi nuptias eum conciliaffe. Quam coniecturã capi paterna pietas & naturalis erga liberos caritas suadet. Non modo autè in matrimonio, sed ne in cõcubinatu quidè minor annis duodecim puella haberi iure licito poterat. <sup>8</sup> Post ætatis verò inspectionè ad iustam matrimoniorum coniunctionè status ac conditionis eorum qui matrimonio iungerentur ratio habenda erat. Ac primum inter liberas ac seruales personas, nuptias olim non constitisse certo certius est. Quinimo libera mulier quæ cum alieno seruo post trinam domini denuntiationem in consuetudine perseverasset Senatusconsulto Claudiano, quod à Iustiniano sublatum est, libertatem amittebat, seruitutique vindicabatur, quemadmodum Vlpianus in fragmētis Titulorum <sup>3</sup> & Tertullianus <sup>4</sup> significant. Quamobrem si ancilla libero nupsisset dotisque nomine pecuniam numerasset, siue scisset ancillam se esse, siue ignorasset, nec matrimoniū erat, nec viri ea pecunia prius fiebat, quam tempore legibus statuto penes se pro suo habitam

7. l. cum hic status. 8. si quis sp̄sam D. de Donat. int. 8. l. Si vxor 8. l. Si minor. D. ad. l. Tut. de adult. 6. l. penult. S. i. D. quod falso tut. 8. l. i. in fin. D. de concub. 1. l. si neget D. de liber. L. Proculus D. de iure do. l. 3. C. de incest. nupt. 2. Rubr. de Senat. claud. tol. C. 3. Tit. xj. 4. in lib. ij. ad vxor.

5. L. procul-  
lus. D. de lu-  
re dotium.  
6. Instit. de nupt. in prin.  
7. Tit. v.

ac possessam eam usu cepisset. Plane si apud virum ad libertatem peruenisset, conciliabatur, conualescibatque matrimonium: exindeque dotis nomen, si necdum usufructus impleta esset, fortiebatur, matrimonioque soluto eius ut dotalis repetitio competebat. Iusta vero matrimonia non inter liberas quascunque passim personas, sed inter solos ciues Romanos contrahebantur. Nam cum Latinis peregrinisque conubium, nisi id eis concessum esset, non erat. Testes sunt Ulpianus in Titulorum fragmentis & Boeth. in commentar. ad Topica Ciceronis. Ex quo Seneca lib. iij. de benefic. *Promisi tibi, ait, filiam in matrimonium: postea peregrinus apparuisti. Non est mihi cum extraneo conubium.* Macrobius lib. j. Saturnal. cap. vj. *Libertinis vero nullo iure uti praetextis licebat: ac multo minus peregrinis, quibus nulla esset cum Romanis necessitudo.* Itaque maximam apud populum inuidiam Antonio conflavit, ab eo contra leges ac patriae instituta contractum cum Cleopatra coniugium: Cuius facti indignitate Plutarchus absque nota praetereundam non censuit. Sic enim in eius cum Demetrio collatione scribit. *ἔπειτα τὴν ἀσπίδα καὶ διχάως γαμηθεῖσαν ἐξήλασε, τῇ ξενίᾳ καὶ μὴ κατὰ νόμους συνοῦσι χαλεζόμηνος* Aegre etiam tulisse populum Romanum Xiphilinus narrat, quod Titus Berenice Aegyptiacam in palatio uxoris loco habebat, ut proinde repudiare eam sit coactus. Itaque qui ciues Romani non erant, conubij ius, nisi ciuitate impetrata non habebant. Memoriaeque adeo proditum est, Campanos ciuitate Romana donatos & a Censoribus Romae censeris coactos, ut sibi ciues Romanas uxores ducere liceret, petiisse, & si qui prius duxissent, ut habere eas sibi liceret: utque ante eam diem nati iusti sibi liberi heredesque essent. Quorum utrumque eis indultum esse Liuius refert lib. xxxvij. Ex peregrino autem & ciue Romana qui nascebantur, peregrini nascebantur: quoniam lex Mensia, quae in hac parte legi naturae derogabat, ex alterutro peregrino natum, deterioris parentis conditionem sequi iubebat. At eiusmodi peregrinitatis obseruationem tandem exoleuisse, significare videtur Prudentius lib. ij. Contra Symmachum his versibus,

8. L. Lex  
naturae D.  
de stat. ho-  
min.  
9. Ulpian.  
in fragmēt.  
Ti. v.

*Distantes, ait, regione plagae, diuisaque ponto  
Littora, conueniunt nunc per vadimonia ad unum*

*Et commune forum, nunc per commercia, & artes  
Ad caetum celebrem, nunc per genialia fulcra  
Externi ad ius conubij: nam sanguine misto  
Textur alternis ex gentibus vna propago.*

At a prouincialibus cuiuscunque ordinis, aut loci essent, cum Barbaris coniugia contrahi Valentinus & Valens prohibuere. quorum de ea re extat in Cod. Theod. constitutio. Enimvero patribus cum plebe conubium ne esset xij. Tabulis sancitum erat: quemadmodum Dionysius Halicarn. lib. xj. Antiquit. cum Liuius lib. iij. ab V. C. narrat. Nam cum auspicia plebeij non haberent, eaque apud solos patricios subsiderent, idcirco ne incerta prole auspicio iura turbarentur, inter eos conubium Decemuires diremerunt. Quod tamen eorum legis caput non multum post temporis, Tribunorum plebis contentione ac conuitio abrogatum esse iidem docent. Senatores etiam Senatorumque filij libertinas uxores ducere prohibebantur. Quae prohibitio, quoniam ex lege Iulia de maritandis ordinibus descendit, necessario nobis eius legis sententia, breuiter tamen, quoad eius fieri poterit, explicanda est. Nam ab aliis dicta, nec repetere, nec interpolare libet. Primum autem admonbo Iulium Octauium Caesarem Augustum compositis intestinis externisque bellis, cum & orbi pacem, & sibi bona populi gratia, imperium conciliaffet, ingrauescente iam aetate ciuitati reformandae legibusque scribendis animum adiecisse. Quam rem iam factam, ut futuram Ouidius lib. vltimo Metamorph. assentatoriè ita canit.

i. In l. vii.  
de nupt. gen-  
til. in Cod.  
Theod.

*Lex Julia de  
maritandis ordi-  
nibus explicatur*

*Pace data terris, animum ad ciuilia vertet  
Iura suum, legesque feret iustissimus auctor,  
Exemploque suo mores reget.*

Legum autem earum quasdam ipsemet Consulatum gerens tulit, quasdam per Coss. ordinarios, suffectosque rogari, & ad populum ferri curauit. Etenim, ne antiquum Reipublicae statum pessumdare, subuertereque videretur, Legem in consulto Senatu & cuius patres auctores prius facti non esset, protinus ferendam sibi esse non censuit. Quemadmodum Zonaras ita scribit. *καὶ μάλιστα πάντα ἐμελογογγαμόντων ἐνομοθέτει, ἀλλ'*



*Lex Papia papea*

ὅτιν ἂν καὶ εἰς τὸ δημόσιον ἀναγείηται, ὅπως, αἰ τι μὴ ἀρέσῃ ἐπανορθώ-  
 σῃ. Et alias, νόμος δὲ μετὰ ταῦτα ὁ Καίσαρ ἤνεγκε, καὶ τοῖς βασιλευ-  
 ταῖς αὐτοῖς ἀναγνώσασθαι ἐπέταξε, ὅπως εἰ μὴ τι ἀρέσῃ ἢ ἀμεινόν τι  
 νοήσουσιν, εἰπώσιν. Sic per Coss. suffectos Papiam & Popeam le-  
 gem de præmiis parentum tulit: quæ propter argumenti ad-  
 finitatem Iuliæ coniungi solet. Quæ leges fama se supra cete-  
 ras, quarum ille princeps auctor fuit, extulerunt. Quota enim  
 pars iuris earum legum commemoratione vacat? aut quæ fre-  
 quentiores occurrunt quam ex Iureconsultorum ad eas leges  
 commentariis, inscriptionibus? Constat namque non ex catalo-  
 go modò, qui Pandectis Pisanis præfigitur, sed & ex capitum  
 inscriptionibus leges has Iunium Mauritanum libris sex, Mar-  
 cellum totidem, Terentiū Clementē æquè atque Vlpianū vi-  
 ginti, Paulū decē, Caium quindecim, interpretatos esse. Quo-  
 rum si nobis scripta integra, aut Iustiniani facinus, aut tempo-  
 ris iniuria reliquisset, superuacanea & inanis omnis nostra hæc  
 opera esset. Nunc quoniam, si non libenter at patienter certe  
 tanta librorum veterū iactura ferenda est, earum quæ tāquam  
 ex vasto incendio saluæ ad nos peruenerunt, reliquiarum in-  
 tuitu, amissorum desiderium leniamus, veteremque tam cele-  
 brium legū memoriam eorū quæ in manibus habemus ope  
 ab obliuionis iniuria, qua fieri poterit diligentia, vindicemus.  
 Qua in parte sicubi fefellerō, veniam me ab æquis iudicibus  
 exoraturum facilè confido, eò quod in tenebris, quod aiunt,  
 micantes & solis plerumque coniecturis res ignotas inuesti-  
 gantes, labi atque errare humanum est. Ceterum lex Iulia, cu-  
 ius capita aliquot explicare iustitui, proprium differentię  
 ergò, de maritandis ordinibus nomen inuenit: ad cuius præ-  
 cepta Apuleius Apologia ij. ita alludit. *Lex Iulia, de maritandis  
 ordinibus nunquam in hunc modum interdicit. Vxorem in villa ne  
 ducito.* Hanc etiam legem Horatius signat, in Carmine secu-  
 lari, cum ait.

*Diu producas sobolem, patrūmque  
 Prosperes decreta, super iugandis  
 Feminis, prolisque nouæ, feraci*

*Lege marita.*

Eadem lex apud Vlpianum. In Institut. tit. xij. & xiiij. & tit. xv.

tit. xv. & apud Iuuenalem Saty. vj. Legis Iuliæ apellatione ex-  
 audienda est. Sed & ad eam referendum est, quod Tertul-  
 lianus lib. aduersus Valentinia. ita scribit. *Credas enim ubi de  
 loco in locum transmigratur, leges quoque Iulias interuenire.* Com-  
 plura autem capita habuisse eam legem non est obscurum.  
 Nam & tricesimum quintum à Martino memoratur. <sup>1</sup> *Pos-*  
<sup>1</sup> *tissimum autem illud fuit, quo Senatores liberique eorum,*  
<sup>2</sup> *libertinas, & quæ ipsæ, quarumue parentes artem ludicram*  
<sup>2</sup> *fecissent, ducere prohibebantur: quod in hæc verba conce-*  
<sup>3</sup> *ptum fuisse Paulus testis est. QVI SENATOR EST, QVI*  
<sup>3</sup> *VE FILIUS, NEPOSVE EX FILIO, PRONEPOS-*  
<sup>4</sup> *VE, EX FILIO NATO CUIVS HORVM EST ERIT:*  
<sup>4</sup> *NEQVIS HORVM SPONSAM, VXOREMVE SCI-*  
<sup>5</sup> *ENS DOLO MALO HABETO LIBERTINAM, AVT*  
<sup>5</sup> *EAMQVAE IPSA, CUIVSVE PATER MATERVE*  
<sup>6</sup> *ARTEM LYDICRAM FACIT, FECERIT: NEVE*  
<sup>6</sup> *SENATORIS FILIA, NEPTISVE EX FILIO, PRO-*  
<sup>7</sup> *NEPTISVE EX NEPOTHE FILIO NATO, NATA, LI-*  
<sup>7</sup> *BERTINO, BIVE QVI IPSE, CUIVSVE PATER MA-*  
<sup>8</sup> *TERVE ARTEM LYDICRAM FACIT, FECERIT*  
<sup>8</sup> *SPONSA NVPTAVE SCIENS DOLO MALO ESTO.*  
<sup>9</sup> *NEVEQVIS HORVM DOLO MALO SCIENS SPON-*  
<sup>9</sup> *SAM VXOREM VE EAM HABETO.* Quibus legis verbis ex  
 Iurecōsultorum commētariis congrua interpretatio aptan-  
 da est. Ait lex. SENATORIS FILIUS. Senatoris filium,  
 quemadmodum Vlpian. lib. i. ad. L. Iuliam exponit, <sup>3</sup> accipere  
 debemus, non tantum naturalem verum etiam adoptiuum.  
 Nec interest à quo vel qualiter adoptatus sit: quod idcirco  
 Vlpia. addidit, quia cum per adoptionem dignitas nō minua-  
 rit, sed augeatur, etiam natalium splendorem Senatoris filius  
 inferioris dignitatis homini, veluti plebeio in adoptionem  
 datus, retinet. <sup>4</sup> Cuius rei exemplū ex Publico Claudio Appij  
 filio sumi potest, quem etiam si se plebeio homini in adoptio-  
 nem dedisset, <sup>1</sup> Senatorē tamen mansisse dubium non est.  
 Ac necius originis in honoribus suscipiendis, adoptione mu-  
 tari verum est. <sup>2</sup> Nec illud quidem interest, iam in Senatoria  
 dignitate constitutus susceperit filium quis, an ante dignita-  
 tem Senatoriam. Accedens quippe, & superueniens patri di-

<sup>1</sup> In L. Ca-  
pise D. de  
vitu nupt.

<sup>2</sup> in L. Qui  
senator D.  
de ritu nupt.

<sup>3</sup> L. Senato-  
ris filium  
D. de Sena-  
torib.

<sup>4</sup> L. per a-  
doptionem.  
D. de adop-  
tionib. L. 6.  
D. de Sena-  
torib.

<sup>1</sup> Cicero pro  
demo sua.

<sup>2</sup> L. ordine  
S. vlt. D.  
municipal.

3. L. 2. §. *In filiis D. de decurionib. L. Moris §. pænis D. de pænis.* gnitas, in liberos quoque iam ante procreatos transfunditur. Et ideo decurionis quoque filius non is dumtaxat habetur, qui ex patre decurione conceptus, & natus est, sed & is qui ante natus est, quã decurionis honor patri accessisset. Nec sum nescius superiori sententiã videri quibusdam refragari Constantini constitutionem, quã propter hyperbaton obsecuritate aliqua laborat: aliud tamen nihil significat, quã filios ac filias, qui quãue ante suscepti, susceptãue fuerunt, quã in Senatorũ ordinem cooptati vel aliã, citra Senatoriã dignitatem, clarissimorum titulo patres eorum, earũue decorari essent, clarissimus nihilominus dignitate fruituros: quòd his, quã posuimus mirificè consentit. Atque hæc quæstio ab interpretibus ad filios ante regnum à patre adeptum conceptos, ac genitos producta est. Quã controuersia priscis tẽporibus inter Xerxem & Arthemene Dario filios incidit: cũ hic, utpote natu maximus, ætatis priuilegio regnum sibi vindicaret, quod ius & ordo nascendi & natura ipsa gentibus dedit: Ille vetò non ordine, sed nascendi felicitate niteretur, regique se primum natum, fratre, qui ante priuato natus esset superiore contendere. Quam tamen litem, arbiter ab his addictus Anaphernes, secundũ Xerxem dedit. Sed hoc exemplum in simili deinde contentione Persã secuti non sunt. Nã cum Parysatis minorem natu filium Cyrũ Arsicæ, qui postea Artoxerxes nominatus est, præferẽdum cõtenderet, eò quòd hunc priuato, illum regnanti Dario peperisset, explosa hac subtilitate, regnũ ad Arsicam delatũ esse Plutarchus auctor est. Sed enim ne longiũs à re proposita aberrẽ, quòd ad adoptiuũ filium attinet, tandiu eum Senatoris filium habendum, Paulus lib. ij. ad L. Iuliã & Pap. benè monet quãdiu in familia manet, patrisque adoptiui potestate cõtinetur. Emancipatus enim tam ius quã nomen filij emancipatione amittit, adoptioneque quã sita adgnatio, è potestate dimisso eo in totum perit. Ciuile quippe hoc vinculum, contrario ciuili ac legitimo actu, id est emancipatione, penitus dissoluitur. Ideoque in omni iure finita patris adoptiui potestate, nullum ex pristino iure vestigium retinetur. Proinde per adoptionem quã sita dignitas emancipatione extinguitur. At naturalibus liberis honorem natalibus partum, emancipatio non adimit,

5. *Iustin. li. 2. histor.*

6. *in Arto xerxe.*

7. *in L. Senatoris filium D. de Senatorib.*

8. *§. vlt. Instit. de cap. min.*

9. *L. per adoptionem D. de ritu nupt. L. ordine §. vlt. D. ad municipal. L. In omni D. de adoptionib.*

nec minuit. Quã enim à sanguine, ab ipso ortu emancipatis tribueretur, ea manere eis incolumia cõstat. Proindeque emancipatum à patre Senatore, Senatoris nihilominus filium haberi, Vlpianus lib. j. ad L. Iuliã scribit. Idẽ adicit, eum qui post mortẽ patris Senatoris natus sit, quasi senatoris filium esse. Aliam vetò eius causam esse, qui postquam pater eius è senatu motus est, conceptus & natus fuerit. Nam quã patri mortis tempore inhaerit dignitas, ea veluti hereditario iure ad posteros transmittitur: At quã viuo patre vitio eius amissa est, ad liberos postea conceptos manere nequaquã potest. Planè iam procreatis liberis patris casum non obesse placuit. Similique modo, qui decurione patre editus est, licet postea pater eius decurio esse desierit, quasi decurionis tamen filius nec in metallũ dari nec aliis plebeiis suppliciis affici poterit. Quòd si ante eius conceptionẽ, dignitate pater exutus sit, ut plebeij filius in honoribus erit intuendus. Sed nec liberti ingrati delictũ, propter quod in seruitutẽ reuocatur, filiis ab eodum libertate potiretur, cõceptis, nocet. Ita quòd ad statum cõditionem ac dignitatẽ liberorum attinet, conceptionis tẽpus spectamus. Benignè tamen, ac singulari iure Iustinianus constituit, ut si curialis fortunã exortes vltro sese & sponte sua curiã dederint, ab eis vel postquam curiã adscripti fuerint concepti liberi, non curialem, sed pristina patrum conditionem sortiantur. Ceterum filij appellatione etiam filia cõtinetur. Et tamẽ, ut ne Senatoris filia libertino nubere posset, Senatusconsulto specialiter prohibitum fuit, licet ad hanc quoque speciem lex Iulia porrigi potuisse videatur. At lex NEPOSVE. Filij appellatione, si nudam ac propriam verborũ significationem, extra voluntatis causam spectemus, nepos non cõtinetur. Et ideo nepotem exprimi necesse fuit. Porro si quis & patrem & auum habuerit Senatorem, & quasi filius, & quasi nepos Senatoris intelligitur. Et quantum pater amiserit dignitatem ante huius conceptionẽ, aui nihilominus dignitas ei proderit. Sequitur in lege, NEQVIS BORVM SPONSAM VXOREMVE. Senatores igitur, Senatorumque liberi, libertinas in matrimonio habere prohibetur, ne amplissimi ordinis dignitas huiusmodi coniugij con-

B ij

1. *arg. L. Amiffione S. vlt. cum L. sequi. D. de capiti. diminu. C. L. Eum quẽ D. de interditi. C. re. legat.*

2. *L. Emancipatum D. de Senator.*

3. *L. Senatoris filium D. de Senatorib.*

4. *L. 2. §. In filium D. de decurion. L. Moris §. pænis. D. de pænis.*

5. *L. Si manumissus C. de libert. et eor. libe.*

6. *in L. vlt. C. de his qui sponte manerant.*

7. *L. Si quis ita D. de testamẽti. test.*

8. *L. Emancipatum §. vlt. D. de Senatorib.*

9. *L. filij D. de res. sig.*

1. *L. emancipatum §. vlt. D. de Senat.*

2. Sueton.  
in Nero.  
cap. 28.

3. in L. v.  
xorem C. de  
nupt.

4. L. si ro-  
gatus. §. I.  
D. de man-  
vind.

5. l. 3. D. de  
Iure dot.

6. L. date  
D. de ritu  
nupt.

7. L. Ince-  
sta D. de ri-  
tu nupt.

8. L. A diuo  
D. eo. tit.

6. L. si con-  
cubina D.  
rev. amot.

1 L. si vxor  
§. sed si ea  
sit mulier  
D. de adul-  
ter.

2 L. 3. §. vi-  
deamus. D.  
donat. int.  
vir.

fortio vilescat. Eaque de causa cum Acten libertam iusto sibi matrimonio coniungere Nero cuperet, Cōsulares viros sum-  
mississe dicitur, qui regio genere ortam peierarent. Et Seneca  
lib. vij. Controuersiar. cum probare niteretur, magnos viros  
fecisse, vt libertinas vxores duceret, veluti exēpli loco subiun-  
xit. *M. Cato coloni sui filiam duxit vxorem, sed ingenuam.* Ideoque  
exemplum propositioni non quadrat. Ex quo apparet, quod  
Diocletianus rescripsit, vxorem libertam suam manumissori,  
*Si non sit ex his personis, quæ specialiter prohibeantur*, ducere non  
esse interdictum, sic cum Accursio accipiendum esse, si non  
Senator sit, senatorisue filius, nepos: Tam enim suas, quam  
alienas libertas vxores ducere, qui Senatoris dignitate prædi-  
ti, Senatoribusue orti sunt, prohibentur, Proinde siquam ex  
familia sua ancillam, Senatoris filius, xx. annis minor ad liber-  
tatem matrimonij causa perducere studeat, nõ erit concedē-  
dum: quonia indignè illiciteque huiusmodi conditionis mu-  
lierem sit ducturus. Iustæ ergo non sunt nuptiæ, quas Senato-  
rij ordinis viri cum libertinis contraxerint. Cui consequens  
est, nec dotem esse quæ in ea matrimonia quæ consistere nõ  
possunt, minimè cadit. Nec enim dos sine matrimonio esse po-  
test. Vbicunque igitur matrimonium non est, nec dos est:  
proinde ex hac causâ caduca dos fiet: Nec tamè, quod Ac-  
cursius existimat, fisco vendicabitur. Hoc enim in incestis de-  
mum nuptiis locū obtinet. Quo fit, vt si libertina Senato-  
rem quasi ingenua deceperit, & ei nupta sit, actionem in fa-  
ctum doli nomine in eâ ex diui Pij rescripto cõpetat, quod  
ex dote, quæ nulla est, vir lucrum nullū fecerit. Ei quoque, quod  
posuimus, consequens est ex eiusmodi matrimonio iustos pa-  
tri liberos non nasci. Sequitur etiam, rerum amotarum actio-  
nè inter personas quæ ita coierint, cessare. Ac nec viro iure  
mariti adulterij accusatio ob stuprum ab ea, quæ quauis vxor-  
is animo habitata fuerit, vxor tamè esse non possit, cõmissum  
cõpetet: licet propter qualecumque matrimonium violatum,  
ne peccatum suū mulier impunè auferat, iure extranei accu-  
satio admittatur. Quamquã autem nuptiæ non sint, nõ eò ta-  
mè donationes, quasi inter cõiuges factæ, ratæ erunt, ne lucro  
eis sit illicita cõiunctio. Alioquin meliore loco res eorū essent  
qui contra leges conuenirent, quã qui iustas & ciuiles nuptias

contraherent, quod vtique ratio non patitur. Quapropter  
quasi ab indignis ablata, quæ donata testamentoue relicta e-  
runt in fiscum cogentur. Planè si quis in Senatorio ordine  
agens libertinam in matrimonium acceperit, quamuis intre-  
rim vxor nõ sit, attamè in ea conditione est, vt si vir dignita-  
tem amiserit, vxor esse incipiat. sic eueniet, vt quæ ab initio  
non consistebant nuptiæ, remoto postea obstaculo impedi-  
mentouque conualescant. Atquin, quæ ab initio minus valent,  
temporis tractu non confirmari pro regula traditum est. Cui  
obiectioni quidam interpretes vt occurrant, iis nuptiis quæ ab  
initio nullius momenti erant vires, non solius temporis lap-  
su atque tractu, sed perseuerantia consensus, qui post amotum  
impedimentum durat, accedere dicunt: Eoque pacto regu-  
lam contrariam flexu elidunt magis, quàm elidunt: Mea hæc  
fuit semper sententia & sic in animum induxi meum regulã  
illam iuris & productam longiùs, & latiùs acceptam esse, quã  
pareat. Ad ea namque dumtaxat, que testamentis dantur re-  
linquunturque pertinere eam, & iisdem propè cū Catoniana  
regula finibus ac terminis circumscribendam esse censeo. In  
quã me opinionem etiam Rufinus, impellit, qui eam regulã  
ita extulit. *Quæ ab initio inutilis fuit institutio, ex post facto  
conualescere non potest.* In ceteris verò speciebus atque causis  
falsam eam esse perspicuum est. Constat si quidem inutiles  
ab initio nuptias, multis postea ex causis conciliari: Vt ecce, si  
ancilla libero nupserit, & apud eundem virū libera facta sit,  
matrimoniu ab initio inutile, conualescit. Pari modo, si mi-  
nor. xij. annis domum ducta sit, licet ab initio nuptiæ non sint,  
si tamen apud virum decimum quartum annū impleuerit, iu-  
sta & legitima vxor fiet: Similitèrque, quod contra manda-  
ta ab his qui officium aliquod in provincia gerunt, con-  
tractum fuerit matrimonium, si eo deposito in voluntate  
coniuges perseuerent, conualescit. Ac ne in solo nuptiarum  
sermone hereamus, etsi pecuniæ alienæ numeratione mutuū  
non contrahatur, consumptis tamen nummis nasci condi-  
tionè minimè est ignotum. Sed etsi aliena pecunia soluen-  
di causa detur, quamquam liberationem eiusmodi solutio ab  
initio non pariat, consumpta tamen ea ab eo qui accepit, li-  
beratio procedit. Longum esset, exempla omnia quæ ex li-

3. L. Cum  
hic status  
in si. D. de  
donatio.  
int. vir.  
L. 2. D. de  
his quæ vt  
indign.  
4. L. si quis  
in senatorio  
D. de ritu  
nupt.  
5. L. quod  
initio D. de  
diuers. reg.  
iur.  
6. in L. pe-  
nult. D. de  
diuers. reg.  
iur.  
7. L. proci-  
lus D. de  
iure dot.  
8. L. Anno-  
rem D. de  
ritu nupt.  
9. L. Eos  
qui D. de  
ritu nupt.  
L. Etsi con-  
tra C. de  
nupt.  
1 L. 2. §.  
Mutui D. si  
cer. pet.  
2 L. Nam  
et si fur.  
D. si cert.  
pet. L. si  
quis pro eo  
§. si num-  
mos D. de si-  
deiusorib.



bris nostris promi possunt, recensendo enumerare, quibus cō-  
proberetur multa quæ ab origine effectum non habuere, postea  
sublatis obstaculi impedimentique causis confirmari ac cor-  
roborari: ut extra testamentarias quæstiones, superiori regu-  
læ locum non esse, verissimè pronuntiare mihi posse videar.  
Atque hæc fuit veteris illius interpretis cuius non ita pri-  
dem in lucem missæ sunt breues in Tit. de diuersis regulis iu-  
ris antiqui notæ, siue is Placentinus est, seu quis alius (nihil  
enim præter coniecturam habemus) sententia, Verùm quæ  
ad alia excurrit ad institutum iam iam reuocetur oratio. Si Se-  
natori indulgentia principali fuerit permissum libertinam  
iustam vxorem habere, posse eam iustam vxorem esse, VI-  
pianus prodidit.<sup>4</sup> Illud olim in dubium venit, si quis libertinæ  
nuptiis deuinctus, deinde in collegium Senatorum coopta-  
retur, num matrimonium dirimeretur: Vetus quidem iuripru-  
dentia ob superuenientem dignitatem nuptias solui crede-  
bat, quando in eum casum res cecidisset à quo incipere vtili-  
ter non potuerat. Quod Iustiano displicuit, qui matrimo-  
nium nihilominus manere & hoc bono euentu vxorem frui  
voluit. Enimuero si libertino Senatoris filia nupserit, licet  
postea pater Senatu ob turpitudinem moueatur, nihilomi-  
nus ea iusta vxor fiet: <sup>6</sup> cum inuidiosum simul & iniquum sit  
quæsitam liberis dignitatem, propter patris crimen auferri.  
Senatoris certè filia, quæ artem ludicram, vel corpore quæ-  
stum fecerit, aut iudicio publico damnata sit, libertino impu-  
nè nubit.<sup>7</sup> Nec enim huic honos seruandus est, quæ tanto se de-  
decore maculauerit, nominique suo tam insignè ignominia  
notam inusserit. Sed & quæ Senatorio quidem sanguine cre-  
ta non est, ob matrimonium tamen cum Senatore contra-  
ctum, clarissimæ fœminæ nomen adepta est, mortuo marito,  
libertino rectè nubit.<sup>8</sup> Nam solas Senatorum filias, neptésque  
à libertinorū nuptiis lex repellit. Indignos autem huiusmo-  
di nuptiis libertinos haberi, licet se patrono homini ingenuo  
adrogandos dederint, Marcellus lib. j. ad L. Iul. scribit.<sup>9</sup> Quã-  
doquidem publica ingenuitatis iura huiusmodi adrogatione  
non sint adepti. Quò pertinet Massurij Sabini à Gellio rela-  
tus locus, in quo ita est. <sup>10</sup> Libertinos verò ab ingenuis adoptari posse  
Massurius Sabinus scripsit. Sed id neque permitti dicit, neque permitten-

4. l. Si Se-  
natori. D.  
de ritu nu-  
pt.

5. l. vlt. C.  
de nupt.

6. l. genera-  
li in fi. D.  
de ritu nup.

7. l. Senato-  
ris. D. de  
ritu nupt.

8. l. Cum te  
C. de nupt.

9. l. sciendū  
D. de ritu  
nupt.

1. lib. v. noc.  
attic. cap.  
xix.

dum esse vnquam putauit, ut homines libertini ordinis per adoptio-  
nem in iura ingenuorum inuadant. Alioquin, inquit, si iuris antiquitas  
ista seruetur, etiam seruus à domino per prætorem in adoptionem dari po-  
test. Et hoc est quod ab Vlpiano definitur. <sup>1</sup> Eum qui se libertinum  
fateretur, nec adoptando ingenuum facere patronū posse. Tamen si enim  
patrono libertum suum causæ cognitione adhibita adrogare  
liceat, tamen in eius vnus perniciem, damnum ac preiudici-  
um, priuatæque eius familiæ iura, ea adrogatio valet. <sup>2</sup> Ceterū  
ingenuitatis ornamenta omnia adrogato nequaquam confert  
ac tribuit. A quo non abhorret, quod Synesius Epistola prima  
lubèter se, si per leges acerrimas ingenuitatis patronas liceret  
spurios suos liberos in locum legitimorum adoptaturum scri-  
bit in hunc modum, πὰρ ἐμὲ δ' ἔταος ἠγαπήθη ἀγαφροντος ὡς ἠ-  
διστ' αὐτὸν εἰπατοῖνσαι φιλοσοφία καὶ τοῖς γνησίοις ἐγκρινοί. ἀλλὰ τὸ  
μὲν εὐ φασὶν ἐπιτρέψαι, ἔδδ' οἱ νόμοι τῆς πολιτείας, δεινοὶ γὰρ εἶσιν  
τῆς εὐγενείας παρορῶνται. Eademque ratione naturalem in ser-  
uitute quæsitum filium, in potestatem quidem patris prin-  
cipis beneficio redigi posse, libertinum tamen semper mane-  
re ex Vlpiani lib. iij. ad L. Iul. & Pap. traditur. <sup>3</sup> Planè liberti  
alieni adrogatio non admittebatur, <sup>4</sup> ne iure suo manumissor  
fraudaretur. Quare si libertum eum esse liqueret, qui se  
adrogandum non patrono dare studeret, nequaquam fe-  
renda hæc, quæ patrono facta fuisset, iniuria credebatur  
Quod si per obreptionem conditione sua celata, statū-  
que dissimulato in alienam familiam cum capite suo fortu-  
nas libertus transtulisset, patroni tamen ius integrum nihilo-  
minus manebat. <sup>5</sup> Quæri potest, an si aureos anulos ab Impe-  
ratore libertus acceperit à Senatoriis nihilominus nuptiis sub-  
moueatur. Quam quidem quæstionem ab Vlpiano lib. j. ad  
L. Iul. tractatam fuisse suspicor. Eoque referendum esse ca-  
put illud quod sub Rub. de iure aureor. anulor. à Tribonia-  
no relatum est, in hæc verba. Libertinus si ius aureorum anulorum  
impetrauit, quamuis iura ingenuitatis saluo iure patroni nactus sit, ta-  
men ingenuus intelligitur. Aureorum enim anulorum beneficio  
liberti omnia ingenuitatis munia, saluo tamen patronorum  
iure, cui per principem nihil detrahitur, consequuntur. Eaque  
de causa aureis anulis honorem libertorum augeri, conditio-  
nè non mutari traditū est. Deniq; viuere eos quasi ingenuos,

1. in l. vlt.  
D. de statu  
homin.

2. l. Cum est  
C. de adop-  
tionib.

3. in l. vlt.  
D. de adop-  
tionib.

4. l. vlt.  
D. de ado-  
ptionib.

5. l. Sed si  
hac lege 5.  
patroni. D.

de in ius vo-  
cat. l. i.  
S. nepos. D.

Si quis à  
parent.  
6. l. vlt. D.

de iure aur.  
anul.

7. l. pen. D.  
de iure aur.  
anul. x. sed

si hac lege 5.  
sed si ius. D.  
de in ius vo.

9. L. I. C. ad L. viscell.  
 1. L. Etiam D. de bon. libert.  
 2. L. 1. 2. 3. D. de natal. restit. L. imperialis.  
 C. de nupt.  
 3. Lege Iulia S. I. D. derivat. imp.  
 4. L. Cum quaereretur D. de liber. & post.  
 5. L. patri. D. ad l. iul. de adulter.  
 6. L. Iusta D. de ver. b. signif.  
 7. in Paganic.

8. L. lege Iulia D. de rit. nupt.

mori ut libertos, quod in eorum bonis, omnia sibi patrona tus iura patroni vindicent. Longè minor de eo qui natalibus sit restitutus, dubitatio est. Hic enim per omnia ingenuus fit, perindeque habetur, ac si medio tempore maculam servitutis non sustinisset. Et ideo in huiusmodi restitutionibus patroni voluntas & consensus exquiri, ac explorari solet: cui iura omnia quæ ex manumissione competebant, depereunt. Præterea Senatores, Senatorumque filij, eas ducere prohibentur, quæ ipsæ, quarumque pater, mater, artem ludicram fecerint. De patre autem matremque tantum lex loquitur: Et ideo avum vel aviam artem ludicram fecisse nihil nocet. In odiosis enim quæ interpretatione adiuvanda non sunt, patris appellatione avum non comprehendimus. Veluti in lege Iulia de Adulteriis, qua patri filiam in adulterio deprehensam occidendi ius datur, patris appellatio ad avum minimè porrigitur. Aliter atque in his quæ benignè atque fauorabiliter constituuntur, in quibus patris appellatione avum contineri iusta interpretatio ne recipitur. Et ita patribus lege Papia servatum ius antiquum, avis quoque, Nerua, Plinio teste, indulgit. Secundum quæ legem municipalem Parisiensis præfecturæ, quæ patri, filij sine liberis mortui certam bonorum speciem defert, Parisiensis curia ad avum producendum esse pronuntiavit. Sed & illam principis constitutionem, qua cessiones actionum mutandi iudicij causa, præterquam à patre, filio, & aliis exceptis personis factæ, inhibentur, avum complecti obtinuit, licet de patre duntaxat loquatur. Patrem autem hic iustum intelligimus, siue is naturalis sit, siue adoptivus. In matre, nihil refert iusta sit, an vulgò conceperit. Nam mater quidem semper certa est, etiam si vulgò conceperit: vulgò verò quæsitorem incertus pater est, cum solum populum patrem citare possint. Vnde festivo scommate Diogenes quendam vulgò editum lapides in vulgus iacientem repræsentat: cauendum ei esse admonens ne patrem ictu offenderet. Quod bellè quoque Synesius Epist. iij. de vulgò quæsitris loquens expressit. τοῖς γὰρ, ait, οὐτω γερνόσιν, ἀποδεδειγται μὲν ἢ μήτηρ, ὁ δὲ λοιπὸς τῆς γονέων, ἀμφισβητήσιμος. ὁ σὸν οὐκ ἀμφοτέροισι ὡς τῆς ἐν γερνότων ὀφείλεται τῷ τοῦ πατρὸς ἢ καὶ ἔδει ὡς τῆς ἀπατόρων εἰς τὰς μητέρας. Solius ergo matris, quam partus ipse indubitatè demonstrat, meritò turpitudine spectatur, non etiam

etiam patris quam promiscuus matris concubitus, aut ignotum aut certè incertum reddit. Quod si post legitime copulatas nuptias Senatoris socer, locutusve arte ludicram facere cœperint, non idcirco ab initio rectè contractum matrimonium dissolvetur. At si ipsamet vxor artem ludicram facere cœperit, utique dimittenda erit. Honestè enim in matrimonio retineri non potest. At Lex, ARTEM LUDICRAM veluti mimicam, histrionicam & quemcumque aliam scenicam, Artem enim ludicram facere dicuntur, qui operas suas in scenam saltandi gesticulandiue causa locant, vel etiam extra scenam gesticulantur. Athleta planè thymelici, xystici, agitadores, & qui aquam equis refocillandorum eorum causa spargebant, ceterique omnes qui sacris, & in deorum honorem institutis certaminibus deseruebant, item designadores, quos βεβρωτας vocabant, artem ludicram facere non existimabuntur quemadmodum Vlpianus ad edictum Prætoris de his qui notantur infamia explicat. Eodem iure etiam Atellanarum actores habitos observavi: quod genus ludorum ab Oscis acceptum iuventutem tenuisse, nec ab histrionibus pollui passam, eoque institutum, ut earum actores, velut artis ludicræ expertes, notaque vacui, neque tribu moverentur, nec à stipendiis militaribus repellerentur, Livius cum Valerio Max. scribit. Proinde & his ius erat non cogi in scena personam ponere, quod ceteris histrionibus pati necesse erat, quemadmodum ex Festo Pompeio Paulus adnotavit. Erant verò Atellanæ ut est à Donato & Diomede scriptum salibus atque iocis compositæ fabulæ, quæ vetustam in se elegantiam, delectationemque Italica severitate temperatam, lascivia ac petulantia vacuum habebant. Estque ab Atella id earum nomen Oscorum civitate, in qua primum actitata sunt, ductum. Quas non in libera tantum Republica, sed vel imperatorum temporibus in usu fuisse duo Tranquilli loci arguunt. Quorum vnus est in Tyberio in hæc verba. Vnde nota in Atellanico exodio proximis ludis adsensu maximo excepta percubuit, hircum vetulum capreis naturam ligurire. Alter in Galba his verbis. Siquidem Atellanis notissimum canticum exorsus, venit Iosimus à villa cuncti simul spectatores consentiente voce reliquam partem reculerunt ac sepius versu repetito egerunt. Hoc idem Spartian. in Hadriano comprobatur. In conuivio Tragedias, comedias, Atella-

9. I. mater § vlt. D. de adul. l. 2. § vlt. de his qui not. infam.

1. Atellanas. D. de his qui not. inf.

2. lib. viij. ab V. C. 3. lib. 2. c. 1.

4. lib. xiiij. 5. in Teren. 6. lib. iij. de art. gram.

7. cap. xlvj.

8. cap. xiiij.

nas, sambucas pro re semper exhibuit. Exodia verò huic fabularum generi inserta ex superiore Tranquilli loco liquet. Quod & Iuuenalis indicat.

Rusticus, inquit, exodio risum mouet Atellanae,

9. lib. vij.  
ab V. C.

Liuius qualia ea fuerint exponit, <sup>9</sup> in hunc modum. *Iuuentus histrionibus fabularum actu relicto, ipsa inter se more antiquo ridicula intexta versibus iactare cepit, quæ inde exodia postea appellata cõfertaque fabulis potissimum Atellanis, sunt.* Atellanarum vti que probatissimos actores, Nonium & Pomponium, Macrobius memorat: post quos, diu iacentem artem Atellaniam suscitasse Mummius scribit. <sup>2</sup> Ac planè Pomponii celebris Atellanarum scriptoris apud Senecam <sup>3</sup> fit mentio. Enimvero Mimi Pantomimi, histriones, ὀρχηστῆραι, qui fracto molli atque effœminato gestu motuque corporis, & muto manuum sermone res quascunque fictas, gestusque exprimebant, & ita oculis subiiciebant, vt manibus quodammodo loqui viderentur, artem ludicram facere proculdubio censebantur. De quorum artificiosa saltatione, si quæ cogitatione complexus, aut obseruatione consecutus sum, ea hic effundere vellem, latissimus certè digressionis excursionisque campus pateret. Sed ne Parergis liber hic turgescat, magis est, vt proprium ei tractationi librum aliquando, si Deus dederit, exiturum destinemus. Interim verò, quo loco ac numero eiusmodi voluptatum artifices olim fuerint, scire interest. Idque ipsa legis in qua constitimus, prohibitio exigit. Hoc enim exposito nemini dubium relinquetur, cur ab earum nuptiis quorum pater artem ludicram fecisset, Senatores Senatorumque filios lex Iulia repulerit. Artè planè ludicram scenamque totam veteres in probro duxisse, genūque id hominum non modò honore ciuium reliquorum carere, sed & tribu moueri, censoria notatione voluisse, Cicero lib. iij. de Repub. scripserat vt à B. Augustino lib. ij. de Ciuit. Dei cap. xij. refertur. Idemque lib. j. de consensu Euangelist. cap. xxxij. Nonne Cicero, ait, cum Roscium quemdam laudaret histrionem, ita peritum dixit, vt solus esset dignus, qui in scenam deberet intrare, ita virum bonum, vt solus esset dignus, qui eò non deberet accedere. Quid aliud apertissime ostendens nisi illam scenam esse tam turpem, vt tãtò minus ibi esse homo debeat, quanto magis fuerit vir bonus? Vnde Ter-

1. lib. Satur  
nal. cap. x.  
2. controu.  
ij. lib. vij.

tullianus in lib. de Spectaculis. Etenim, ait, ipsi actores & administratores spectaculorum, locum, quadrigarios, scenicos, Xysticos, harenarios illos amentissimos, quibus viles animas feminae, aut illi etiam corpora sua substernunt, propter quos in ea committunt quæ reprehendunt, ex eadem parte qua magni faciunt, deprimunt, & diminunt: Immo manifestè damnant ignominia & capitis mutatione: arcentes curia, rostris, Senatu, Equite, ceterisque ordinibus simul & ornamentis Quiritium. Arnobius lib. vij. aduersus gentes. Existimatur tractari se honorifice Flora, si suis in ludis flagitiosas conspexerit res agi & migratum à lupanaribus in theatra. Itane istud non est deorum imminuere dignitatem, dicare & consecrare turpissimas res Dijs, quas censor animus respuat: & quarum actores inhonestos esse ius vestrum, & inter capita computari indicauit infamia. Quam veluti amecatam hastam verissime Arnobius ex ipso. Quiritium iure, in eos torisit. Edicto nanque Prætoris infamia notabantur, <sup>1</sup> qui artis ludicrae, pronuntiant diue causa in scenam prodissent: Quapropter Æmilius probus in præfatione libri de vita excellēt. Imperator. Magnis, inquit, laudibus tota fuit Græcia, victorè olympiæ citari. In scenam verò prodire, & populo esse spectaculo, nemini in eisdem gentibus fuit turpitudini: quæ omnia apud nos partim infamia, partim humilia atque ab honestate remota ponuntur. Huius rei argumentum est, quod qui ad principem prouocantem, cum qui artem ludicram faceret, torisisset, verberasset, condemnasset iudex, lege Iulia de vi publica contra atque si idem in reliquorum ciuium corpus admisisset, non apprehendebatur: <sup>2</sup> ipsamet legis exceptione nominatim tutus: quæ genus id hominum quasi beneficio suo indignum aspernabatur. Quinetiam Hylam pantomimum querente Prætor in atrio domus suæ Augustum flagellis (quod erat seruire supplicium) verberasse Tranquillus memorat: <sup>3</sup> vbi & illud refert magistratibus omni loco omnique tempore cõercitionem in histriones lege veteri permissam, Augustum ademisse. Marito etiam cum paucas omnino personas in vxoris adulterio deprehensas occidendi ius lex Iulia de pudicitia daret, id ei licere in eos qui artem ludicram facerent, noluit. <sup>4</sup> Accusandi quoque & publico iudicio reos postuladi, his qui artem ludicram fecissent, potestas denegabatur. <sup>5</sup> Proinde & huiusmodi artè, citra capitale flagitium exercere miles nõ poterat. Tiberium

1. L. j. D. de  
his qui not.  
infam.

2. Paulus  
lib. v. Sen-  
tentiar. Tit.  
de vi. publi-  
ca.

3. in Augu-  
sto cap. 45.

4. L. Mari-  
to D. ad l.  
Iul. de adul-  
te.

5. L. Qui ius  
dicio D. de  
acusat.

6. lib. lvi. quidem certè Dio auctor est, <sup>6</sup> histriones orbe expulisse, at-  
 7. lib. lix. tēque ea interdixisse, quod & feminas ignominia adficerent  
 8. cap. vii. & turbas excitarent. Contrā, Caius eos statim atq; imperio po-  
 titus est <sup>7</sup> eodem dione teste reuocauit. Rursus Domitianus  
 scenam his interdixit vt Suet. in eius vita memorat <sup>8</sup> intra  
 domum dumtaxat exercendi artem iure concesso. Fuit planè  
 tempus, cum nec Equitibus scena indecora esset, vt. eam illis  
 Senatuscōsulto Augusti temporibus interdici necesse fuerit.  
 9. ca. xliii. Quod Suetonius in Augusto docet <sup>9</sup> his verbis. *Ad scenicas*  
*quoque & gladiatorias operas Equitibus Romanis aliquando vsus est,*  
*verum priusquam Senatusconsulto interdiceretur.* Quod Idem Dio  
 ita refert lib. liiij. *ἐπειδὴ περ καὶ ἰππεῖς καὶ γυναῖκες ὀπιφανεῖς ἐν τῇ*  
*ὀρχήστρᾳ, καὶ τότε γὰρ ἐπέδειξεν αὐτὸ ἀπιθόρευσεν ὅτι τοῖς παισὶν ἴβραλευ-*  
*τῶ, ὅπερ πρὸς καὶ ὀρίν ἐκείνῳ ἀλλὰ καὶ τοῖς ἐγγυνοῖς τοῖς τε ἐν τῇ ἰππῶδι*  
*δηλονότι ἐξεταζομένοις, μηδὲν ἐπι τοῖσιν δρᾶν.* Ex quo lucē accipiet  
 alter Suetonij in Tiberio locus, quo ex iuuetute vtriusque or-  
 dinis profligatissimū quemque quominus in opera scenæ ha-  
 renæ ue edenda Senatusconsulto teneretur famosi iudicij no-  
 tam sponte subiisse narrat. Postea tamen, quod & mirum vi-  
 su iri præmonet, Equitibus gladiatorium ludum indulgentia  
 quadam permittum fuisse, Dio auctor est. <sup>2</sup> καὶ τοῖς ἰππεύσιν, αἰτ,  
 ὃ καὶ θαυμάσειε ἀν τις, μονομαχίᾳ ἐπέτεράπη. Αἰτίον δὲ, ὅτι ἐν ὀλιγαρχίᾳ  
 πνὲς πλὴν ἀτιμίαν πλὴν ἑὸν ἀντιώπεικται μὲν ἐποίησαντο. Ἐπει γὰρ μὴ  
 ὀφέλας πὶ τῆς ἀπορήσεως ἐγγίνετο, καὶ τιμωρίας μείζονος ἀξιοὶ εἶναι ἐδό-  
 κεν ἢ καὶ ἀποτέρας πησαυρομένοισιν ἀνεγάρηθη τὸ τοσοῖσι ποιεῖν καὶ ἔ-  
 3. In Nero-  
 ne. cap. xii. τως ἀντι τῆς ἀτιμίας θάνατον ὀφλοισαίνων. Suetonius etiam Ne-  
 4. Suet. in  
 Domit. cap. ronem quadringentos Senatores, sexcentosque Equites Ro-  
 viii. manos & quosdam fortunæ atque existimationis integræ, ad  
 5 arg. L. 1. S modum Tacitus scribit, seuerè cautū fuit ne equites Romani  
 hanc verba. ludo & harena polluerentur, cum priores id principes pecunia  
 D. quod & sapius vi pertulissent: Ac Domitianum quoque Quæsto-  
 quisque in. rium vitū quod gesticulandi saltandique studio teneretur, Se-  
 6. L. 3. D. de natu mouisse traditum est. <sup>4</sup> Quod autem ait lex, F A C I T F E-  
 his qui not. infam. C E R I T cum effectu accipiendū est. <sup>5</sup> Et ideo, qui operas suas  
 7. lib. 3. in- locauerit, vt in scenā prodiret, nec prodierit tamen, lege conti-  
 sit. orat. neri non videtur. <sup>6</sup> Factum enim nō voluntas apprehenditur.  
 cap. 6. Quò pertinet apud Quintilianū <sup>7</sup> proposita quæstio, an the-

atrati lege quæ cum qui artem ludicram exercuisset, à xiiij. pri-  
 mis theatri ordinibus arcerivolēbat, is qui Pratori in hortis o-  
 stensus esset, nec tamen productus, contineretur. Cui non, ab-  
 similis & alia quæstio tractatur apud eundem aut alium Quin-  
 tilian. Declamatione cccij. Certè in Senatusconsulto <sup>8</sup> de po-  
 stulando & in alio legis Iuliæ capite, <sup>9</sup> sola operarū ad bestias  
 depugnādas locatio, etiā, nulla pugna secuta notat. Ita quippe  
 vtrubique verba scripta sunt. In edicto autē Pratoris de infa-  
 mibus, quod ad ludicrā artem attinet, consilium ac conarus nō  
 punitur: Ceterū huic legis Iuliæ capiti congruenter Constā-  
 tinus sanxit, vt ne Senatoribus, præfectis, Duūuirisue, vel sacer-  
 dotibus municipiorū, libertam, libertā ue filiam, scenicam, vel  
 scenicæ filiam, tabernariā, tabernariæ ue filiam, vel lenonis, aut  
 harenarij filiam, vxorem habere liceret. Quam constitutionē  
 Valentinianus & Martianus in Nouellis laudant. <sup>1</sup> Ei verò Iu-  
 stinianus, quantum ad scenicas personas attinet derogauit <sup>2</sup>,  
 constituens mulieribus quæ pudorem suum scena aut ludo  
 quandoque polluisent, si derelicta inhonesta conuersatione  
 honestiorem commodiorēque vitam fuerint amplexæ, lice-  
 re principali rescripto, cuiuslibet personæ, quacunque dignita-  
 te prædita, nubere, quasi omni pristinæ, viræ macula peni-  
 tentia, principisque beneficio diluta atque absterfa. Addidit  
 verò legi Iuliæ Senatus, vt neque damnatam publico iudicio  
 ducere vxorem, aut retinere ius esset. <sup>3</sup> Damnata accipe  
 eam quæ non prouocauit: Ceterū si prouocauit, nondum  
 damnata videtur. Idem est, etsi ab eo qui ius damnandi non  
 habuit, damnata sit: Damnata enim tum videtur cum dam-  
 natio tenuit. Quam ego interpretationē ex similibus aliis lo-  
 cis haurio. <sup>4</sup> Publico planè iudicio damnata non videtur, quæ  
 calumniæ, præuariationisue nomine, ex causa publici iudicij  
 fit condemnata, licet infamiæ notetur. In calumniatores e-  
 nim nulla publica quæstio cōstituta est. Nam etsi lege Remmia  
 eis poena irrogata sit, non tamen in publicorum iudiciorum  
 legibus lex ea numeratur. Igitur si ob publici iudicij accusa-  
 tionem per calumniam instituta, siue ob priuatum iudicium  
 per calumniam motū, vt calumniatrix mulier damnata sit, Se-  
 natuseonsulto non cōtinetur. Ergo dicet aliquis, publico iu-  
 dicio reos postulare mulieribus licet. Quod ita verum est, si

8. L. 5. in Se-  
 natuseon-  
 sulto. D. de  
 postul.  
 9. l. qui li-  
 bertim. D.  
 de oper. li-  
 bert.

1. Tit. 4. No  
 uel. Mart.  
 2. in L. im-  
 perialis. C.  
 de nuptiis.

3. L. palam  
 §. Senatus.  
 D. de rit.  
 nup.

9. L. Edicto  
 D. de bonor.  
 pass. L. 2. §.  
 vlt. d. de pœ-  
 nis. L. furti

§ 1. D. de  
 his qui no-  
 tāt. infam.

1. L. palam.  
 §. si qua ca-  
 lumnia. D.  
 de ritunup.

suam, suorumque iniuriam exequantur, vel lætæ maiestatis, aut annonæ fraudatæ accusationem perferant: His enim ex causis ad accusationem publici iudicij admittuntur: 2. quam si destituisse arguantur, ob eamque rem damnata sint, à Senatorum nuptiis idcirco non arcebuntur, quod prævaricationis crimen in hac specie iudicium publicum non sit: 3. Porò Senatoriis personis exceptis, cæteris omnibus ingenuis libertinas vxores ducere lege Papia concessum fuisse, Celsus testis est, 4. cuius ipsa verba subieci: *Leg. Julia Papia canetur, omnibus ingenuis, præter Senatores, eorumque liberos libertinas vxores habere licere.* Quod & Dio comprobat, 5. de Augusto loquens. *Ἐπειδὴ δὲ, αἰτ, πολὺ πλεον τὸ ἀρρεν τῶ ἡλικος τῶ εὐγενῆς ἦν, ἐπέτρεψε καὶ ἐξελυθέντας τοῖς ἐφέλασι πλὴν τῶν βαλευόντων ἀγεῖν, ἔνομιον πλὴν τεκνοποιεῖν αὐτῶν εἶναι κελύρας.* Quæ verba latine reddam, quoniam in hac parte recta non est, quod eius patre dictum sit, Xylandri interpretatio: qui *εὐγενῆ* illic pro patritio accepit cum ingenuum proculdubio significet. Sic enim Theophilus lib. j. Institut. & Constantin. Harmenop. lib. j. tit. vlt. *εὐγενῆ* definiunt, *ὁ ἀμὰ τῶ τεχνῆται ἐλεύθερος ὅστι*, id est, qui statim ac natus est, liber est. Itaque recta est hæc quæ sequitur illius loci interpretatio. *Iam verò quoniam masculorū ingenuorum numerus maior erat, quàm mulierum, potestatem fecit omnibus pro arbitrio, Senatoribus exceptis, libertini generis vxores ducere, iustis que esse, qui inde susciperentur, liberos constituit.* In eundemque lapidem & Zonaras interpretis impegit in eadem Augusti constitutione referenda. Nam Zonaras ipsamet Dionis verba in suos annales transcripsit: nec dissimilitudo vlla est in verbis, præterquam quòd pro *ἐξελυθέντας, ἀπελευθέντας*, pro *βαλευόντων, βαλευτών*. Zonaras codex habet. Hoc verò est, quod Mauritianus significat, 6. *Observandum esse, inquit, ut inferioris gradus homines, equestris ut puta vel plebei ordinis, vxores ducant eas, quas qui altioris dignitatis sunt, veluti Senatores, ducere legibus propter dignitatem prohibentur.* Excipiebat autem lex, quasdam personas, quas ne inferioris quidem ordinis hominibus, dum modo ingenuis, ducere permittebat. Veluti lænam, à lænone, lænæue manumissam, vel eam quæ palam quæstum corpore faceret, fecisset. Item in adulterio deprehensam, vel iudicio publico damnatam, vel quæ artem ludicram exercuisset. Cuius exce-

2. L. de crimine, C. qui accus. non pas. L. qui accusare L. bi tamē. L. mulierem. D. de accus. L. vlti. D. ad L. Iul. de anno. L. in questio- nibus. D. ad L. Iul. maiest. 3. l. 3. §. vlt. D. de præ- varicator. 4. in l. lege Papia. D. de ritu nup. 5. lib. liij.

6. l. obser- uandum. D. de ritu nupt.

ptionis, auctorem laudo locupletem, Vlpianum nimirum in fragmentis titulorum ex eius corpore excerptorum, Tit. de cœlibe, orbo, solitario. Atq; ad hoc legis Iuliæ de maritâ dis ordinibus caput referenda esse censeo, quæcunque de ingenuorum statu à conditione ex Vlpiani libris ad L. Iul. & Pap. in Pã- dectis tractata reperiuntur. Ingenuum namque habendum eū qui ingenuus pronuntiatu fuisse, licet natura & re vera inge- nuus non esset, Vlpianus lib. j. ad L. Iul. tradiderat, vt ex inscri- ptione L. Ingenuus D. de statu homin. liquet. Idque nimirum propter rei iudicatæ auctoritatem, quæ pro veritate habeatur. Vnde & hausta est illa iuris regula, quæ rem iudicatam pro ve- ritate haberi definit. Cui tamen non in hac modò specie, sed & in omnibus causis in quibus de statu, conditione, qualitatē- que personæ quæstio vertitur, locus est. In his enim, vel maxi- mē sententia ius facit. 7. Eodē libro Vlpianus in huius capituli, vt verisimile est, interpretatione, scripserat, 8. Si quis per collusio- nem ingenuus esse pronuntiatu esset medio tempore, id est, ante collusionem detectam, & post sententiam de ingenui- tate dictam, quasi ingenuum accipi. Lænas autem, vt singula legis verba expendamus, Vlpianus ad edictum Prætoris sub ti- tulo de his qui notatur infamia, dici ait 9. eas, quæ per mulie- res quæstuaras prostituunt. Nec refert suo an alterius nomi- ne id genus vitæ exercent. Ac nec illud interest, principaliter ne hoc negotium gerant, vel alterius negotij accessione vtan- tur. Vt puta, si cauponam quis, vel stabulum exercens, māci- pia quæstuararia habeat occasione ministerij quæstum corpore facientia, is lenonis loco habebitur. Lenones porò, lænæ- que edicto Prætoris infamia notabatur. Proinde nec accusan- di publico iudicio ius habebat, 2. & vt viles, turpes, famosæque personæ, in adulterio deprehensi lenones, à maritis impunè occidi poterat. 3. Et merito certè, ignominia huiusmodi per- sonas notandas veteres censuerunt quascum Terentio, 4. pestē perniciemque cōmunem adolescentium, & cum Iustiniano 5. *ὀλεθρίους καὶ κοινῆς λυμεῶνας τῆς σωφροσύνης*, vocare iure possumus. Quapropter filétio prætermitti Q. Metelli iudiciū non debet qui in Prætura vr bana, Verbio lenoni bonorū possessionē se- cūdum tabulas denegavit: 6. separandā fori ac lupanaris con- ditionem existimans, iurisque ac legū auxilio indignos cen-

7. Adopti- num §. 1. D. de in ius voc. l. Sine contra D. de liber. ad gnosc. l. Pa- pianus §. si. ex causa. D. de inoff. te. 8. l. 4. D. de collusio. de- teg. 9. l. 4. §. ait Prætor D. de his qui notan- tur infam. 1. l. palam §. lenonem. D. de ritu nupt. 2. l. Qui in- dicio. D. de accusat. 3. l. Marito D. de adul- te. 4. in Adel. 5. Nouella xiiii. 6. Valerius Max. lib. viij. cap. viij.

sens eos, qui tantam ciuitari labem inferrent. Laudanda quoque Honorij & Theodosij constitutio, qua lenones patres, dominosue, quos necessitatem filiabus ancillisue peccadi imposuisse constiterit, non solū potestatem, quam in eos habebant amittere, sed & proscriptionis, exiliisque pœna plecti sanciunt. Denique nec satis vnquam pro merito Iustinianus laudabitur, qui genus hoc hominū vībe regia pelli, eosque qui illecebris pellectas puellas ad quæstum alere comperiti essent, acerbissimis pœnis subiici voluit. Verū videamus quænam palam quæstum corpore facere ex legis Papiæ sententia intelligerentur. Palam, Vlpiano interprete, est coram pluribus: eique voci plerunque socia adiungitur vox appetē: quarū altera, vt Aconius Padianus distinguit, ad publicum conspectum, altera ad dictorum significationem pertinet. Valer. Max. lib. vj. cap. j. Cum de stupro nihil negaret, sed sponsonem se facere paratum diceret, quod palam atque appetē corpore quæstum factitasset. Palam autem quæstum fecisse, nō ea tantum existimatur, quæ se in lupanario, & vt Tertul. loquitur, publicarum libidinum loco, prostituit, verū etiam si quæ in tabernavel caupona, aut alicubi aliās pudori suo non patcit. Cuiusmodi fœminis olim propter infamiæ notam, turpitudinēque vitæ, testimonij dictio non erat, legēque ad eodē Iulia de vi nominatim cauebatur, vt ne ad testimonij fidem admitterētur. Et quoniam hic se de impudicis mulieribus agēdi locus offert, nō alienum erit, quæ de re meretricia ex veteri memoria obseruādo notauī, in mediū producere. Nec enī erit inutilis aut iniucunda hæc à proposita oratione digressio. Primum autem inuenio publicarū libidinum victimas, atque hostias, (Sic enim Tertullianus nō semel meretrices appellat) Romæ sub fornicibus prostare consueuisse. Inde illud Horatij in sermonibus. *Contra alius nullam, nisi olenti in fornice stantem: qua periphrafi meretricem designat. Idem eodem loco.*

*Quidem motus, homo enim exiret fornice, macte  
Virtute esto, inquit, sententia dia Catonis  
Nam simul ac venas inflauit terra libido  
Huc iuuenes equum est descendere, non alienas  
Peruiolare vxores.*

Seneca

Seneca in lib. de beata vita. *Voluptas, ait, humile, seruire, imbecillum, caducum, cui statio ac domicilium fornices & popinae sunt.* Arnobius lib. ij. *aduertus gentes. Stant in lupanaribus promptæ, in fornicibus obiunctæ.* Plautus Bacchidibus, *Omnes fornices lustra & lustra les cellulas quæ sui sedulo.* Martialis lib. j. Epigram. *At meretrix abigit testes, veloque, seraque.*

*Raræque sum mæni fornice rima patet.*

Arbiter Petronius Satyrico, *Tandem imò iam serò intellexi me in fornice esse deductum: execratus itaq; aniculæ insidias operui caput, & per medium lupanar fugiens, capi in aliam partem.* Isidorus lib. x. *Ety-mologiar. Fornicatrix est, cuius corpus publicum, ac vulgare est. Hæc sub arcuatis prostituebantur, quæ loca fornices dicuntur, vnde & fornicariæ. Sed & in lexico Latinogræco, suburbicariæ ædis B. Germani Parisiensis ita scriptum reperri πόρνη ἀπό χειμᾶνος ἐν ἡ ἱ-καται: lupanaris verò vocabulum vnde ductum sit Lactantius lib. j. Diuinar instit. cap. xx. Sic exponit de Acca Laurentia agens, *fuit enim Faustuli vxor, & propter vulgati corporis vilitatē, lupa inter pastores, id est meretrix nuncupata est, vnde etiam lupanar dicitur.* B. Hieronym. in Chronic. Eusebij, *verum paruulos propè ripā Tyberis expositos, Faustulus regij pastor armenti ad Accam Laurentiam vxorem suam detulit, quæ propter pulchritudinē, & rapacitatem corporis quæstuosi, lupa à vicinis appellatur. Vnde ad nostram vsque memoriam meretricum cellula, lupanaria dicuntur.* Idem & Isidor. tradit lib. xvij. *Ety-molog. cap. xlij. Græci porrò οἶκημα vocant: Sic enim Dio lib. lix. Messalinæ libidinem narrans loquitur. ἦδη γὰρ ἐπὶ οἰκηματος, ἐν τῷ παλατίῳ αὐτῆ τε ἐχάρτετο ἡ ἀλλὰς τοῦς πρώτους ἐκείνη. Inuenitur & hoc verbum apud Xiphilinum in Heliogabalo. ἡ τέλος, ait, ἐν τῷ Παλατίῳ οἰκημάτι ἀποδείξας, ἐν ταῦτα ἠσέλθαινε: vbi interpres οἶκημα, cubiculum nō satis aptè vertit cumcellam vel lupanar, commodius reddere potuisset.* Suidas, οἰκήματα τὰ χειμᾶ τυπέα. Hesichius, οἶκημα τὸ δεσμιωθήλιον, ἀπὸ τοῦ πορνείον. Ex illo autem Martialis à me supra prolato versu sub mænianis & proiectis abditas fuisse meretricū cellas, colligere est: qua ratione idem auctor scorta, submænianas vxores, lib. xij. Epigr. vocat.*

*Et plena, inquiens, turpi matris olla resina  
Submænianæ qua pilantur vxores.*

D

7. L. vlt. C. de spectac. lib. ii.

8. Nouella. xiiii.

9. L. p. alam. D. de verb. signific.

1. D. l. palam. D. de ritu nupt.

2. l. 3. §. lege Iulia. D. de testib.

3. in lib. de Cultu feminar. &amp; in lib. de Spectacul.

4. l. i. Sat. 2.

Vnde etiam explicantur sequentes cuiusdam poetæ versus qui lib. xj. Epig. leguntur.

*Submœniamis inquinatio buccis.*

*Quem cum fenestra vidit à suburana,  
Obscœna nondum lena fornicem clausit.*

Ex quo etiam liquet, in suburbana, quæ in secunda urbis regione sita erat, meretricum mansionem fuisse, quod versus hi Priapeorum significant.

*Nota suburbanas inter Theleusa puella*

*Quæ puto de quaestu libera facta suo est.*

Et hinc fortasse est, quod in descriptione urbis Romæ in eadē cū Subura regione, lupariæ tam à Pub. Victore, quàm à sexto Ruffo ponuntur. Sed extra urbis mœnia quædã prostabant meretrices, quas extramuranas idcirco Lampridius in Helio-gabalo vocat. Quin & aliis theatris urbis locis meretrices constituisse non dubiũ est. Idem Lampridius in Helio-gabalo, *Fertur una die ad omnes Circi Theatri & amphitheatri, & omnium urbis locorum meretrices, tectus Cucullione mulionico, ne adgnosceretur, ingressus.* Idē aliàs, *omnes de circo, de teatro, de stadio, & omnibus locis & balneis meretrices collegit in ædes publicas.* Isidor. lib. xvij. Etymolog. cap. xlij. *Idem vero theatrum idem & prostibulum, eò quod post ludos exactos meretrices ibi prosternerentur.* Ex quibus satis, abundeque probatũ arbitror in fornicibus & submœniamis meretricum cellulas positas, structasque fuisse: quas quod & humi depressæ essent, & exiguum lumē admitterent, obscuras esse, fuliginisque plenas plerunq; contingebat. Qua de causa Seneca in libris cõtrouerfiar. fornicis fuliginem dixit. Auctor quoque Priapeorum.

*Quilibet huc licebit intret*

*Nigra fornicis oblitus fauilla.*

Indeque Horatius *olentem fornicem* dixit lib. j. Satyr. ij. vt & Prudentius lib. ij. contra Symmachum *spurcam redolente fornicem cellam.* Certa verò meretrici cuique cellula constituebatur, propriusque ei titulus inscribatur, quo & prostitutæ nomē, & quantũ vno cõcubitu mereret, designabatur: quod facilius in eam quisq; incideret, ad quam animum appulisset, pretiumque concubitus à se pendendum sciret. Seneca lib. ij. cõtrouer-

fiarũ. *Deducta es in lupanar accepisti locum, pretium constitutum est, inscriptus est titulus, hæc tennus in te inquiri potest.* Ceterum nescio quid cellulam & obscœnum lectulum vocas. Et paulò post. *Meretrix vocata es, in cõmuni loco stetisti, superpositus est cellæ tuæ titulus, venientes recepisti.* Et aliàs. *Stetisti cum meretricibus, stetisti sic ornata, vt populo placere posses, cum veste quam leno dederat: nomen tuum pependit in fronte, pretia stupri accepisti.* Inde Martialis inscriptam cellam pro lupanario dixit.

*Intrasti, ait, quoties inscripte limina sellæ.*

*Et puer arrisit siue puella tibi.*

5. Sat. vi.

Hoc ipsum Iuuenalis apertè expressit Messalinã exagitans, Claudij Imperatoris vxorem libidinis prodigiosissimæ fœminam, cuius explendæ causa toro coniugali relicto, meretricis habitu plerumque in lupanar noctu descendebat, venientisque nomine insignioris fornicariæ sibi accommodato, usque ad satietatem admittebat.

*Respice, inquit, rivales diuorum, Claudius audi*

*Quæ tulcrit, dormire virum consensit vxor,*

*Ausa Palatino tegetem præferre cubili*

*Su mere nocturnos meretrix Augusta cucullos*

*Linguebat comite ancilla non amplius vna,*

*Et nigrum flauo crinen abscondente galero,*

*Intrauit calidum veteri ceptone lupanar.*

*Et cellam vacuam, atque suam: tunc nuda papillis*

*Constitit auratis, titulum mentita Lycisca,*

*Ostenditque tuum generose Britannice ventrem.*

*Excepit blanda intrantes, atque æra poposcit,*

*Mox lenone suas iam dimittente puellas*

*Tristis abiit, sed quod potuit, tamen vltima cellam*

*Clausit adhuc ardens rigide tentigine vuluæ,*

*Et lassata viris, nondum satiata recessit,*

*Obscurisque genis turpis, fumoque lucernæ,*

*Fœda lupanaris tulit ad puluinar odorem.*

Quod autem superiores auctores titulum, Tertullianus elo-

gium appellat in lib. de spectaculis. Ipsa etiam, ait, prostibula publicæ libidinis hostiæ in scena proferuntur, perque omnis ætatis, omnis cognationis ora transducuntur, locus, stipes, elogium etiam quibus opus non est prædicantur. Vtitur tamen ille auctor, tituli verbo in eandem sententiam in lib. de pudicitia. Et ubi, ait, proponetur liberalitas ista? Ibidem opinor in ipsis libidinum ianuis, sub ipsis libidinum titulis, illic huiusmodi poenitentia promulganda est: Inter meretricem planè & prostibulum hanc veteres differentiam posuisse Nonius Marcell. notat, quòd meretrices copiam sui tantummodo noctu facerent: prostibula verò ante stabulum starent, quæstus diurni & nocturni causa, & ad hanc comprobendam differentiam Plauti Cistellaria locum producit, eademque ratione profedas appellatas ab eodem Plauto meretrices, quæ ante stabula federent. Sext. Pomp. lib. xiiij. docet: locus verò Plauti de quo sentit ex Pœnulo Act. j. Sc. ij. petendus est. Quorum locorum auctoritate adductus credo apud Petronium Arbitr. verbum hoc corruptum esse: nam in Satyrico scriptum veteres libri habent, iam pro sella meretrix assensu exegerat, cum meo quidem iudicio, scribendum sit, iam profeda meretrix. Cum verò, ait Iuuenalis, tunc nuda papillis constitit auratis, morem meretricum signat, quas nudas prostare consueuisse didici ex Xyphil. in Heliogabalo. ἐν τῷ παλατίῳ, inquit ille, οἰκῆματι ὑπὸ δειξάσ ἐν ταῦθα ἠσέλγαίτε. γυμνός τε ἀεὶ ἔπι τῆς ἑσπέρης αὐτῆς ἕως ὥσπερ αἱ πόρνοι. Petronius Arbitr. in Satyrico, Cui ego negarem me cognoscere domum, video quosdam interuiculos, nudasque meretrices furtim spatiantes. Enimvero apud Aediles flagitiū profiteri, suumque nomē edere meretrix cogebatur. Cornel. Tacit. lib. ij. Nam Vistilia Prætoria familia genita licentiam stupri apud Aediles vulgauerat, more inter veteres recepto qui satis poenarum aduersus impudicas, in ipsa professione flagitij credebant. Sed & meretricum erant ab honestarum matronarū cultu, atque ornatu distincta vestimenta: Quemadmodum in nostris selectar. ex iure ciuili antiquitatum commentariis fusissimè comprobauimus. Nec in stolæ modò, & pallæ usu, sed & in crinium colore differentia ea cernebatur. Siquidem, ut Seruius in iij. Aeneidos notat, matronis nigra coma, meretricibus flaua probabatur: quod ex eo Iuuenalis, quem modo rettuli loco confirmatur.

*Et nigrum, ait, flauo crinem abscondente galero.*

Valerius lib. ij. de matribus familias agens, *Indulgentibus nam-*

que maritis & auro abundante & multa purpura vsæ sunt, quòd formam suam concinniore efficerent, summa cum diligentia capillos cinere rutilarunt. Ceterum meretricum quæstum vectigali obnoxium esse Caligula voluit, tributūque illud primus instituit, cuius ad hæc vsque tempora exemplum manere dicitur. Sic enim Traquillus in eius vita scribit. <sup>6</sup> Ex gerulorum diurnis quæstibus pars o- <sup>6. cap. xl.</sup> Etana, ex capturis prostibularum quantum quæque vno concubitu mereret, additumque ad caput legis, ut publico tenerentur quæ meretricium quæne lenociniū fecissent. Meminit eius & Lampridius in Alexandro Lenoni, ait, vectigal & meretricū & exoletorum in sacrum ærarium inferri vetuit, sed sumptibus publicis ad instaurationem Theatri, Circi, Amphitheatri & ærary deputauit. Cui non abfimile tributum in vrbe quoque Constantinopolitana pendi & exigi consueuerat, χρυσόργυρον id appellabatur. Quòd tandem ab Anastasio sublatum est <sup>7</sup> qui omnes eius tabulas magno studio conquistas flammis <sup>7. Zonar. Tomo. 3. Annal. in Anastas. Niceph. hi. Eccles. lib. xvi. cap. xl.</sup> aboleri curauit, ut eius instaurandi reuocandique facultatem posteris præcideret. Porro meretrices, ut plurimum seruilis, aut certè libertinæ conditionis erant. Plautus Cistell. Act. j. sc. j. *Eunt depressum, quia nos sumus libertinæ.*

*Et ego & mater tua ambæ meretrices fuimus.*

Liuius lib. xxxix. *Scortum nobile libertina hispala fecenia non digna quæstu cui ancillula adsueuerat, etiam postquam manumissa erat, eodem se genere tuebatur.* Lamprid. in Heliogabalo. *Meretrices à ceteris lenonibus redemit sæpe & manumisit.* Ac planè SC. Tiberij temporibus factò quæstū corpore facere eæ mulieres vitæ sunt, quarum auus pater maritusve equo publico meruisset. Tacitus hb. ij. *Eodem anno grauibus decretis libido foeminarum coercita est, cautumque ne corpore quæstum faceret cui auus aut pater aut maritus eques Romanus fuisset.* Sed hæc fuerit, ut ait Thucydides ἐπιβολὴ λόγῳ non inutilis. Ut igitur ad legis interpretationem redam, siue in summæ cella & fornice, mulier corpus suum vulgauerit, siue alibi, ut cū Imperatoribus loquar, venalè <sup>8</sup> formam exhibuerit, & prostitutam meretricio more vulgò se præbuerit, lege Iulia notatur. Palam enim hic accepimus passim & sine delectu. Nec interest pecunia accepta an sine quæstu palam se prostituerit. Quæ verò cū vno aut item altero licet pecunia accepta se comiscuit in eadem causa non est. Nec verò ea tantum quæ palam quæstum corpore facit, sed & quæ aliquando.



9. L. palam  
 §. qua in ad-  
 ulterio. D.  
 deritu nup.  
 1. l. et si. C. ad  
 l. Iul. de ad-  
 dule.  
 2. l. fœdifi-  
 mum. C. ad  
 l. Iul. de ad-  
 dule.  
 3. L. Mariti  
 §. 1. D. ad l.  
 Iul. de adul.  
 L. Castitati  
 C. eo. tit. L.  
 auxilium.  
 D. de mino-  
 ribus.  
 4. d. L. Ma-  
 riti. §. 1.  
 5. d. L. pa-  
 lam. §. fena-  
 tus. D. de ri-  
 tu nup.  
 6. L. gene-  
 rali. §. ream  
 D. de nup.  
 7. L. sine  
 metu. C. ad  
 l. Iul. de ad-  
 dult.  
 8. L. reas.  
 D. de ritu  
 nupt.  
 9. L. Clau-  
 dius. D. de  
 his que vt  
 indign.

fecit, licet facere desierit, ab ingenuorum nuptiis repellitur. Non enim contracta ex antea vitæ turpitudine macula, pœnitentia aboletur. Addit Ulpianus, huius loci interpretatione persequens, ei non ignosci quæ obtentu paupertatis, quasi egestate coacta, turpissimam vitam elegit, similis Chryfidi illi Tetricianæ quæ se inhonestè optavit parare diuitias, quàm in patria honestè pauper viuere. Prohibebantur præterea ingenui in adulterio deprehensas ducere. Nec exigebat lex, vt damnatæ essent. Igitur & si post deprehensionem absolutæ essent, adhuc tamen illis nota ex ipsa deprehensione, quam solam lex spectabat, contracta oberat. Enimuerò nec pœnæ, nec infamiæ, quæ crimen adulterij plectitur mulier non accusata, nec damnata subiicitur, et si nuptiis eius, si deprehensa est, abstinere ingenuos lex Iulia de maritandis ordinibus præciperet, non distinguimus hic, vt in L. Iulia de adulterijs, à quo, vel vbi, deprehensa sit. Proinde siue maritus, siue quis alius deprehendisse proponatur, & siue in domo patris, vel mariti, siue alibi vsquam deprehensa sit, erit notata secundum verba legis. Atque hæc ita de ea quæ sponte peccarit accipienda sunt. Vim passam enim integræ existimationis esse, nec nuptias eius aliis interdici, meritò placuit. Damnatam porro ex causa veri adulterij commissi ducere vxorem etiam lex Iulia de adulterijs vetabat. Quinimo factum hoc pro adulterio vindicabat. Ob aliam verò causam lege Iulia damnata, veluti quòd domum præbuisset, pretiūque pro comperito stupro accepisset, impunè dicebatur. Quamquam Senatusconsulto postea eæ nuptiæ Senatoribus interdite videantur. Maritus planè reā adulterij à se iure mariti vel extranei postulatam, post abolitionem denuo vxorem ducere, & quidem citra legis Iuliæ pœnam, potuit. Is enim in eam legem committit, qui vel publico iudicio damnatam in matrimonio habet, vel adulteram sciens, vt ignorantiam simulare nō possit, retinet vxorem. Ab extraneo verò adulterij rea, nec ante damnationem vxor duci potest. Benè itaque Papinianus, cum Mænius in adulterio Sempronix damnatus, eandem Semproniam non damnatam vxorem duxisse proponeretur, eique moriens hereditatem reliquisset, respondit, neque tale matrimonium stare, neque hereditatis lucrum ad mulierem, sed ad filium per-

tinere. Similitèr quæsi talis mulier virum hæredem instituisset, ab eo quasi ab indigno hæreditatem auferrî. Verum enim uero quando in legis Iuliæ & Papiæ explicationem ingressi sumus, è re est reliqua eius capita ad rem vxoriâ pertinentia persequi. Inuenio autem legibus illis (quod tandem à Iustiniano abrogatum est) eas nuptias, quas vir sexagenarius cum vxore quinquagenaria cōtraheret, fuisse improbatas. Vnde scitè Lactantius lib. j. de falsa religio. cap. xvj. *Vtrum, ait, sexagenarius factus est, & illi lex Papiæ fibulam imposuit? an impetrauit ius trium liberorum?* Ac planè Apuleio inter cætera criminis loco obiectum ab aduersariis legimus, quòd sexaginta annos natam fœminam duxisset: idque factum accuratissimè ille Apolog. pro se ipso secunda, diluit ac purgat. Improbabat autè lex eiusmodi nuptias tanquam liberorum quærendorū causa minimè contractas, veròque coniugij fructu ac sine destitutas. Hoc enim in illis legibus condendis agebat Augustus, vt exhaustam bellis ciuilibus ciuitatem sobole repleret: Sexagenarius autem vt generandi, ita quinquagenaria pariendi impotens esse vulgò existimatur. Aristoteles quidem certè in Politicis finè gignendi vt plurimum viris septuagesimum annum adferre, mulieribus verò quinquagesimum scribit. Itaque Dionysius Halicarnassæus lib. iij. eorum sententiam tefellens, qui Lucium & Aruntem Tarquinos Tarquinij Prisci fuisse filios, non nepotes credunt, id admitti non posse, argumento eiusmodi docet. ἡ γυνὴ δὲ πέντε ἔτεσιν ἢν αὐτῶ νεώτερα, καθάρει ἐκός, ἐξ δὲ δὲ μνηστῶν ἀγδὴ πρὸς καὶ πέμπτον ἔχει ἔτος ὅτε ἐπετησθε Ταρκύνιος, εἰ δὴ τ νεώτερον τῶν ἡῶν ἔσχατον ἐκύησεν ἔτος ἔχουσα πεντηκοτὸν. πρῶτω τέρω γὰρ ἐπὶ κυ- ἰσιεται τέττα τῶ χρόνῳ γυνή, ἀλλ' ἐπὶ αὐταῖς τῶν ἀδίνων ὁ ρος ὡς οἱ ταῦτ' ἐξητακότες γενέφθασιν. Sed & idem Aristoteles in libro de Natura Animalium, rarò contingere vt ad septuagesimum vsque annum vir generet: frequentius verò quinto & sexagesimo anno generandi vires consumi tradit. Ideoque Dionysius Halicarnass. in eo quem paulò ante citauit libro ἀάρος δὴ γίγνεται πάλιν ὄγάμος τῶ Ταρκύνιος μικρὸν ἀπολείπεντες ἔτων ὄγδδὴκοντα καὶ ἡ τῶν τέκνων γένεσις τοῖς ταυτῶ ἔχουσι τῶ ἡλικίαν ἀπι- φος. Quapropter apud Plautum Mercatore, has Eutyclus senibus sexagenariis quasi à re venerea iam per ætatem exclu-

1. L. penult.  
 2. de nupt.  
 2. L. si steri-  
 lis. D. de s-  
 tito empt.  
 L. Si maior.  
 de legit. C.  
 heredi.  
 3. L. lib. vñ.  
 cap. xvi.  
 4. lib. 8.  
 5. Scena vl-  
 tima.

*Annos natus sexaginta qui erit, si quem scibimus  
Seu maritum, siue hercle aded cœlibem scortarier  
Cum eo nos hîc lege agemus.*

Similiter Mitio apud Terentium Adelphis, Demæ suadē-  
ti vt uxorem duceret.

*Satir, ait, sanus es?*

*Ego nouus maritus anno demum quinto & sexagesimo  
Fiam?*

Mulierem verò post quinquagesimum annum non parere  
Plinius absolutè definit, & maiorēque partem quadragesi-  
mo profluuium genitale sistere. Solinus quoque post annum  
quinquagesimum omnium mulierum fœcunditatem conqui-  
escere in Polihystore tradit. Ac planè quibus ceuor mensuris  
interuallis fluere destitit, eas iam concipere non posse ab au-  
ctoribus medicinæ constanter affirmari B. Augustinus auctor  
est. Subiicit verò Plinius Masinissam regem post octoginta  
sex annos filium generauisse qui Methymnus appellatus sit.  
Cui & Valerius Maximus & Florus & Solinus consentiunt.  
Quod de eo minùs mirum videtur, quem vel ante omnes ho-  
mines robore senectæ admirabilem fuisse, literarum monu-  
mentis proditum est. Qui quemadmodum Cicero refert in  
libro quem de senectute scribit vel nonaginta annos natus,  
nullo vnquam imbri, nullo frigore, vt capite operto esset ad-  
duci potuerit, & pedibus iter ingressus, in equum omnino nō  
ascenderit. Sed & Catonem Cœtorium idem Plinius cum So-  
lino, octogesimo exacto anno filium è Salonij clientis sui filia  
auum Catonis Vticensis procreasse scribit. Vnde Plutarchus  
in eius vita nuptias eum contraxisse & χαρ' ἡλικίαν, ait: Beatus  
quoque Augustinus suis tēporibus senem octoginta & qua-  
tuor agentem annos ad libidinem sibi Lyristriam emisse re-  
fert. Verùm ea leges quæ ὅτι τὸ πλεῖστον accidunt, spectant, non  
quæ ἐκ τῶν λόγων. Et ideo alienam à nuptiis contrahendis su-  
perius memoratam ætatem, velut liberorum suscipiendorum  
spe destitutam præmiis adficiendam non existimarunt. Atque  
hic succurrit quod de Augusto Valerius Max. narrat, aditū eū  
à Trachallis testamento Septitiæ matris præteritis, quæ iis ira-  
ta, iam pariēdi impotens, seni admodum nupserat, tam supre-  
mum

6. lib. vij.  
Natur. hi-  
sto. ca. xiiij.

7. lib. 3. cō-  
tra Iulian.  
Pelag.  
8. lib. viij.  
cap. xiiij.  
9. in epito-  
me Liiij li.  
50.

1. lib. 7. ca.  
13.

2. lib. iij. cō-  
tra Iulian.  
Pelag.

3. lib. vii.  
cap. vii.

num eius iudicium, quàm nuptias improbasse. Nam heredi-  
tatem maternam filios habere iussit, dotēque, quia non pro-  
creandorum liberorum causa coniugium intercesserat, ad vi-  
rū pertinere noluit. Eleganter itaque Dionysius matri iā effec-  
ta nuptias iuuenis appetenti, ciuitatis quidē leges à Tyrannio  
abrogari violarique posse, naturæ verò præceptis vim adferri,  
nuptiarum in ætate minimè ad eam rem idonea concilianda-  
rum causa non posse, respondit. Qua de re, verba Plutarchi in  
Solone subiicere, operæpretium fuerit. ὁ μὲν γὰρ, ait, Διονύσιος  
ἀξίως τῆς μηδὸς αὐτῆ δόξῃ τινὶ τῶν πολιτῶν πρὸς γάμον, ἔφη  
τὸς μὲν τῆς πόλεως νόμος λελυκέναι τύραννον, τὸς δὲ τῆς φύσεως οὐκ  
εἶναι δυνατὸν βιάζεσθαι, γάμους νυμφαγωγῶν παρ' ἡλικίαν. Quo loci  
in eiusmodi intempetiuas imparēque nuptias ita inuehitur.  
Ἐν ταῖς πόλεσι τὴν ἀπαξίαν ταυτὴν ἔδοτεον, ἔδὲ πειροπτεον ἀώρης  
ἢ ἀχαιέτης ὅτι πλοχῆς ἢ μηδὲν ἔργον γαμήλιον ἔχουσαι, μηδὲ τέλος.  
Ἀλλὰ γέροντι νέαν ἀγαμένω φαιήτης ἀν ἐμμελής ἀρχὸν ἢ νομοθετής, τὸ  
πρὸς τὸν φιλοκτήτην. Ἐν γ' οὖν ὡς γαμῆν ἔχεις τάλας. Καὶ νέων ἐν  
δαματίω πλυσίας πρεσβυτιδὸς ὡσπερ οἱ πέρδικες ἀπὸ σιωσσίας πα-  
χυόμενοι ἐξ ανευρών, μετακίησει πρὸς πάρθενον νύμφην ἀνδρὸς δεομέ-  
νην. Enimvero, huic de quo agimus legis capiti, Claudium Cæ-  
sarem obrogasse legimus, cū comperisset etiam sexaginta an-  
nos natis aut eò amplius, generā diuines inesse. Sic enim Sueto-  
nius in eius vita, Capiti Papiæ Popææ legis à Tiberio Cæsare quasi se-  
xagenarij generare non possent edicto obrogauit. Obrogari enim dici-  
tur, cum prior lex alia lege lata, postea aliqua ex parte com-  
mutatur. Quod circa Papiam legem Senatusconsulto Clau-  
diano factū esse, ex Vlpianifragmentis liquet, in quibus ita est.  
Sed Claudiano Senatusconsulto maior sexagenario si minorem quinquagenaria duxerit, perinde habebuntur, ac si minor lx. annorum duxisset uxore. Quod si maior quinquagenaria minori sexagenario nupsisset, impar matrimonium appellabatur, nec ad capiendas hereditates vel legatas dotes proficiebat. Planè postquā coniuges, supra sexagesimū masculi, supra quinquagesimū fœminæ, in matrimonio perstiterant, solidum inter se capere, perinde ac si liberos suscepissent, eodem Vlpiano teste poterant: cū imputari eis nihil posset, quorum coniunctio ad ætatem à prolis generatione alienam peruenisset. Et hoc Beatus Augustinus significat cum ait, Pro modo nunc temporis quo longè breuiore spatia viuunt homines intra cœ-

3. ca. xxiii.

Tit. xvi.

4. Lib. iij.  
contra Iul.  
Pelag.

sum annos amborum generare posse dicuntur. Si verò in summam ducti amborum anni centenarium numerum excesserint: sic asseuerantur non posse filios procreare, etiam si foecunda sit mulier & fluentibus adhuc mulieribus possit ex iuvene, ut iure etiam fuerit constitutum, nequaquam ius liberorum haberet, nisi cum amborum anni computati & simul adducti centenos transisse docerentur. Sic enim locum emendo, fretus Vlpiani auctoritate, qui tum inter se coniuges solidum cepisse scribit, cum lege Papia finitos annos excessissent, id est vir annos sexaginta, vxor quinquaginta. Ius enim liberorum, cuius Augustinus meminit, ad solidi capionem, de qua apud Vlpianum agitur, pertinet. His & alius ad rem faciens eiusdem Augustini locus adiungendus est, ex lib. j. *Quaestio. in Genesin in quo ita est. Sic enim medici tradunt, quoniam cuius corpus viri secundum hoc iam defecit, ut cum femina proeuctioris aetatis, quamuis menstrua adhuc patiat, generare non possit, de iuuenula potest. Et rursus mulier quae iam proeucte aetatis est, quamuis adhuc menstrua fluant, ut de seniore parere non possit, de iuniore potest.* Alio praeterea, quemadmodum Vlpianus auctor est, legis Iuliae de maritalibus ordinibus capite, tutor à Praetore urbano ei mulieri virgini quae ex ea lege nubere oportebat, dari iubebatur ad dotem dandam, dicendam promittendamque, si legitimum tutorem pupilla non habebat. Eoque pertinet, quod idem aliam scribit, non tantum ad dotem dandam nupturae curatorem dari oportere, verum etiam ei quae iam nupta est. Ut enim Martianus Capella lib. ix. de nuptiis Philologi scribit, etiam matrimonio copulato dotem dare viro foemina nullis legibus prohibetur, & Paulus lib. ij. Sententiar. *Dos, ait, aut antecedit aut sequitur matrimonium. Et ideo vel ante nuptias vel post dari potest. Sed & ad dotem augendam & mutandam quoque dotis gratia curator dari potest. Planè in nuptiis contrahendis tutoris curatorisve consensus non exigitur, eoque spreto pupilla pro arbitrio suo rectè nubit. Et ita Verus & Antonin. rescripserunt in haec verba. Ad officium curatoris administratio rerum pupillae pertinet: nubere autem arbitrio suo potest.* Verum ei ad dotem constituendam tutor ex lege Iulia dabatur. Quod si curator generalis, vel dotis dandae causa constitutus, amplius doti promississet, quam facultates mulieris ferrent, ipso iure eam promissionem non valere, Terentius Clemens lib. iij. ad legem Iuliam & Pap. scribit, quia lege rata non

5. Tit. de Tutel.

6. L. Non tantum. D. de tutor. & curat. dat.

7. Tit. xxi.

8. L. scien- dum. D. de ritu nupt.

9. L. Sine generalis. D. de iure dot.

habeatur auctoritas dolo malo facta. Qui locus perspicue indicat lege Iulia id fuisse comprehensum. Nec tamen tota obligatio, sed tantummodo quod superfluum est, & amplius promissum quam promitti oportuerit, infirmabitur. Inutilis enim adiectio vtilem dotis constitutionem vitare non debet. Quemadmodum & immodica donatio non omnino, sed quatenus duntaxat legis modum excedit, reuocatur. Potest verò mulier omnia bona sua in dotem dare: nec vlla lege hoc prohibitum reperitur. Sed si in eo capta circumuentaque est, quod ampliore grandiorisque, quam natalium splendor & viri dignitas postularet, dotem dederit, restitutionis auxilium probè implorabit. Carterum separabat lex dationem dotis, dictionem, & promissionem. Dictionem quidem ita Caius in institutio. fragment. explicat. *Sunt & aliae obligationes quae nulla precedente interrogatione contrahi possunt, id est, ut si mulier sine sponso sine iam marito vxor futura dotem dicat, quod tam de mobilibus rebus, quam de fundis fieri potest. Et non solum in hac obligatione ipsa mulier obligabitur, sed & pater eius & debitor ipsius mulieris, si pecuniam quam debebat, marito in dotem dixerit: Quae tantum tres personae nulla precedente interrogatione possunt dictione dotis legitime obligari.* Sed ad alia pergamus. Lege etiam Iulia de maritalibus ordinibus iusurandum, Paulo teste, remittebatur quod liberto in hoc impositum erat ne vxorem duceret, libertae, ne nuberet, si modo nuptias contrahere rectè vellet. Eodemque legis capite tricesimo quinto qui liberos, quos in potestate habebant, iniuria prohibebant vxores ducere, vel nubere, per magistratum cogebantur. Fuisse quoque haec ferè verba eadem lege comprehensa, non temerè adfirmare posse mihi videor. *Diuortij faciendi potestas libertae quae patrono nupsit, inuito patrono ne esto: Sed quandiu patronus eam vxorem esse volet, & vxor esse velle debeat.* Quae verba, ex duobus Vlpiani locis, ex libro iij. ad Iul. & Pap. sumptis perspicue eliciuntur. Idem etiam aliam. *Si liberta, ait, ab inuito patrono diuertit lex Iulia de maritalibus ordinibus, retinet istam in matrimonio dum prohibet alij nubere inuito patrono.* Indèque etiam rescriptum Alexandri interpretandum est, ita habet. *Libertae tuae ducendo eam vxorem, dignitatem auxisti, & ideo non est cogenda operas tibi prestare, cum possis legis beneficio contentus esse, quod inuito te alij non possit iuste nubere.* Patronum autem in hac lege accipimus, eum qui ex seruitute

1. L. ut mihi D. de donationib. L. Scimus in prin. & S. Sin autem Cod. eo. tit.

2. L. Nulla Cod. de iure dot. L. mulier. D. eodè

Co. tit.

3. L. Si ex causa. S. i. D. de min. L. vn. C. si aduersus dotem.

4. lib. ii. ca. ix.

5. l. Adigere. S. vltim. D. de iure patro

6. L. capite D. de ritu nupt.

7. In eo iure D. de rit. nupt. L. vl. D. de diuort.

8. L. vn. D. unde vir & vx.

9. l. Libertae. C. de op. libert.

sponte manumisit, vel filiū eius: Sed an is qui ex causa fideicō-  
 missi manumisit, hoc idem ius habeat, quari potest. Hic enim  
 pro patrono habetur, quamquam plurimū ab eo qui nulla ne-  
 cessitate cogēte gratuitam præstitit libertatē, differt. Nec enim  
 magnam ei gratiam libertus debet, qui vel nolēte eo ad liber-  
 tatem rapitur. Ideoque operas ei imponere, vt est ab Adriano  
 rescriptū, in ipsa manumissione non potest, nisi testatoris fi-  
 lius eiusmodi fidei cōmissio à patre ea mēte vt plenum ius pa-  
 tronon habere grauatū sit. In tantū, vt nec si manumitti eum  
 ita testator vt operas heredi extrario promitteret, voluerit,  
 nō cogatur manumissus promittere: sed & si promiserit, in eū  
 actio nō dabitur, quod iuri publico derogare nō potuerit, qui  
 fideicōmissariā libertatē dedit. Et tamē eos quibus supremis  
 iudiciis libertas per fideicōmissum relinquatur, eorum libertos  
 effici à quibus manumittuntur, negari non potest. Sed non  
 per omnia in eos patronorū iura sibi manumissores vindicāt.  
 Nam honorē quidem & reuerentiā patronis debitā ab iis exi-  
 gere possunt, & in ius sine venia eos vocare non cōceditur,  
 & ad impuberum libertorū legitimam tutelam vt pote manu-  
 missores vocantur, & tamē contra tabulas, quā ab intesta-  
 to ad libertorum bona veniunt quasi patroni. Ceterū nec  
 operas imponendi, vt dixi, nec ingratos libertos accusandi ius  
 habent, nec alimenta eis præstare liberti cogūt. Magis est  
 itaque, vt nec legis huius beneficium habeant, qui necessitate  
 coacti manumiserint. Idque ita constitutum fuisse Marcellus  
 lib. ii) ad L. Iul. & Pap. scribit: Cui & Modestinus assētitur, &  
 meritō, cum magis debitam libertatem præstitisse quā vllū  
 beneficium in mulierem contulisse videantur. Diuersa longē  
 eius qui hac lege emit vt manumittat, causa est. Hic enim si  
 manumiserit, vt patronus, hoc ius habebit, propterea q̄ spōte  
 sua hanc legē subit, quā ei ab initio recusare integrum erat.  
 Quamobrem & ali hic à liberto, si egestas premar, debet, & in  
 ius vocari sine venia non potest, & omnia omnino legitimo-  
 rum patronorum iura nanciscitur. Sed an idem seruabimus si  
 cessante eo, ex constitutione D. Marci seruus ad libertatē ere-  
 ptus sit? Non enim vindictam imposuit. Propiūs est tamen &  
 hunc quoque lege cōtineri: quippe qui patronus existimetur  
 cum potestas legis factum manumissoris suppleuerit, non e-  
 1. L. 1. C. de libert. & eo-  
 rum liber. 2. L. Si quis  
 à liberis. S. si quis à li-  
 berti D. de  
 lib. adgn. 3. L. Proxi-  
 mē. D. de  
 rit. nup. 4. L. pen. D. de dimort. 5. L. in eo §. 1. D. de rit. nup. 6. L. 3. §. sed si hac D. de bon. lib. 7. L. sed si  
 hac lege. D. de in ius 20. L. 3. §. is planē D. de suis & legit. L. seruum in si. D. de iure patron.

etiam patronatus commoda ademerit. Planē qui ancillā suis  
 nummis emit, pro patrono in hoc iure nō habetur, sicut nec  
 libertum vt ingratum accusare, nec operas ab eo exigere, nec  
 alimenta desiderare, nec ad bona eius contra tabulas admitti  
 iure potest, licet honos ei seruetur, vt nec in ius vocari citra  
 veniam, si modo non fidem fregerit, queat. Patronus hic cer-  
 tē accipitur, & qui collusionē detexit per quā in ingenuitatē  
 quis ex libertinitatē obreperat. Fraude enim hac patefacta  
 eius libertum effici eum minimē dubium est. Sed & si quis  
 præiudicio patronus pronuntiatus est, cum alioquin non esset,  
 pro patrono habetur. In hac enim causa sententiam ius face-  
 re receptū est. Aliter atque de eo dicēdum est, qui se patronū  
 esse iuravit. Nec enim in hac parte, nec quōd ad successione  
 iura attinet, pro patrono habetur, tamē si in ius vocari sine  
 venia non possit. Quōd si filius fa. iussu patris vel consentien-  
 te eo, non castrensium peculij ancillam manumiserit, existimo  
 etiam patrem legis beneficio fruiturum, quandoquidem  
 manumissus ipse videtur, & patronus est. Quōd si filius fa.  
 miles in castris quæsitam ancillam manumiserit, ei legis huius  
 beneficium competet, cum suam non patris libertam eam fe-  
 cerit. Quōd & ab Adriano rescriptū dicitur. Et certē castrē-  
 sis peculij serui in familia patris non cōputantur, nec in his iu-  
 ris quicquam pater habet. Quæsitum est an qui sibi cum alio  
 communem libertam duxit, ad hoc ius admittatur: Quōd ne-  
 gasse Iauolentū Caius lib. ix. ad L. Iul. & Pap. rettulit. Cōtra ta-  
 men alios sentire, quorū sententiā magis probat, propterea q̄  
 eius liberta sit, quāuis alterius quoque sit. Nam quōd cōmune  
 est, pro parte nostrum esse negari non potest. Filio etiam pa-  
 tronon in libertam paternam, eandēque vxorem ex sententia  
 legis idem iuris quōd patrono ipsi datur. Quōd si fratri suo à  
 patre adsignatam alter frater vxorem duxerit, hoc idem ius  
 nō habebit. Nihil enim iuris in huiusmodi liberta habet, quæ  
 adsignatione fratris perinde propria facta est, atque si ab eo li-  
 bertatē cōsecuta esset, quōd senatuscōsulto inductū est. Ceterū  
 de nupta liberta lex loquitur, nec ad sponsā pertinet. Et ideo  
 sponsalium cōditioni inuito patrono renūtiare liberta potest,  
 nec cū alio conubium amittit. Interdū planē quæ de nuptiis  
 statuuntur, ad sponsalia porriguntur, nimirum vbi eadem ratio  
 1. 3. §. si quis fili fa. D. de bon. lib. 9. L. Illud D. de rit. nup. 1. L. serui. §. 1. de legat. 1. 2. L. filio. D.  
 de rit. nup. 3. d. L. filio §. 1. 4. L. 1. D. de adsign. lib. §. 1. In eo iure. §. hoc caput. D. de rit. nup.

5. 1. D. de  
 manū. vin-  
 dict. L. vt.  
 C. si mōcip.  
 ita fuer. ali.  
 9. L. In eo D.  
 de rit. nup.  
 1. L. Si iuis  
 C. de oper.  
 libert. L. si  
 quis à libe-  
 ris. S. si quis  
 à liberti D.  
 de libe. ad-  
 gn. L. 1. C.  
 de bo. lib.  
 2. L. sed si  
 hac lege. D.  
 de in ius vo.  
 3. L. Ado-  
 ptiuū. S. pa-  
 trononum. D.  
 de in ius vo.  
 1. 4. D. de  
 colus. deteg.  
 4. L. Ado-  
 ptiuum. §.  
 1. D. de in  
 ius voc.  
 5. L. si iura-  
 uero. D. de  
 iure patron.  
 6. L. si con-  
 sentite. D.  
 de manu-  
 missionib.  
 1. Pater. D.  
 de manū.  
 vind.  
 7. L. In eo D.  
 de rit. nup.  
 8. L. seruū D.  
 de iur. patr.

6. L. oratio  
D. de spon-  
salib.

ut rubique versatur, veluti inter quos nuptiæ prohibentur, inter eos quoque sponsalia, utpote viam ad matrimonium facientia, prohibita intelliguntur. <sup>6</sup> At quod de nupta cõstitutum est, non protinus ad sponsam producendum est, quoniã arctior vinculo constricta est quæ nupsit, quãquæ dũtaxat desponsa est. Enimvero in ea demũ quæ iustè legitimè ac ciuilitè nupta est, lex locum habet. Nam si ignominiosam libertam suam patronus duxerit, id est, quæ quæstũ corpore fecerit, artẽmue ludicrã exercuerit, vel iudicio publico sit damnata, quia cõtra legem maritus est, legis huius beneficium non habet. <sup>7</sup> Indignus enim est beneficio legis qui aduersus eam commisit <sup>8</sup>. Nec tamen legitimè dumtaxat nuptam libertam, sed & eam quoque quæ in cocubinato solũ patroni sit, sententia legis adprehendi notandum est. Igitur, quemadmodũ Vlpianus libro primo ad L. Iuliã scribit <sup>9</sup> quæ in cõcubinato patroni est, si ab eo inuito discesserit, ei conubium adimetur, quippe cũ honestius sit patrono libertam concubinam, quã matremfa. habere. Ait lex, INVITO PATRONO Inuitũ accipere debemus <sup>1</sup> eũ qui non consensit ad diuortium. Proinde non tantũ nolente & dissentiente vel contradicente liberto diuertere nõ potest, sed omnino sine eius assẽsu. Et aliã quoque inuitus dicitur <sup>2</sup> qui consensisse non probatur nisi vbi lex consensum ex taciturnitate & silentio colligit, veluti in dotis repetitione, <sup>3</sup> & in spõsalibus nuptiisue cõstituẽdis. <sup>4</sup> His consequens est, ab absente & ignorante patrono, non rectè libertam diuertere. *Rectius enim, ait Vlpianus, hic inuitus dicitur quã qui dissensit.* Quod dictum nouum videri superficiem solam verborum inspicienti posset, summam tamen rationem habet. Nam qui contrariam voluntatem contestati, dissensus sui rationes reddiderunt multò minũs habent quod querantur, quã quibus ignorantibus res gesta sunt, cum iis quid animi habeant, explicandi facultas nõ sit data: spretãque ac neglecta sit, quæ exquirẽda fuerat volũtas. Qua de causa multa inuitis & dissentientibus aliquibus rectè fiunt, quæ his absentibus & ignorantibus facta non tenent, vt accidit eum tribus iudicibus datis, absente vno ex his duo pronuntiarunt. Quãquam enim præsente eo & inuito duorũ utpote numero superiorum sententia præualuisset, quia tamen omnes cõuenire

7. L. filio §.  
1. D. de ritu  
nupt.

8. l. auxiliũ  
D. de minorib.

9. L. 1. D. de  
concub.

1. L. In eo §.  
deinde. D.  
de rit. nup.

2. L. Felius  
fa. §. inuito  
D. de procuratoribus.

3. L. 2. §. 1.  
D. sol. mat.

4. L. In spõ  
alibus in fi.  
D. de spõsa  
libus.

ad deliberandum oportuit, idcirco quod absente vno gestum est, irritum constituitur. <sup>5</sup> Forsitan enim si præsens fuisset, qui abfuit rationum suarum pondere ac momento, reliquos de sententia deducere & in suam trahere potuisset: quemadmodum de Paphnutio Episcopo proditũ est, <sup>6</sup> qui in Niceno cõcilio cum vniuersis placeret à coniugum vsũ atque consortio prohibendos eos quoque qui ante sacros ordines susceptos vxores duxissent, solus intercessit, orationẽque sua reliquos Episcopos qui prius aliud senserãt, in suam opinionẽ, adduxit. Meritò igitur, vt ad legis sententiam reuertamur, eadem est patroni absentis & ignorantis quæ contradicẽtis ac reclamãtis causa: Generalitèrque ad eò statui potest ignorantes eodẽ cum dissentientibus loco habẽdos esse, ac proinde inuitis nobis fieri ea existimari, quæ ignorantibus nobis fiant, quamquã prohibitio nulla intercesserit. <sup>7</sup> Ideòque ignorantem inuito iũgi sæpius videas. <sup>8</sup> His cõsequens est si patronus post nuptias facere cõeperit ab eo diuertendo liberta huius legis necessitate minimè solui. <sup>9</sup> Quoniam nec scire nec consentire furiosus intelligatur nisi quod quæ per dementia patri dotem repetẽti contradicere filia non potest consentire, voluntatem eius affectu paterno supplente benignè censetur: <sup>10</sup> Quamobrem Pomponius infantes & furiosos, quorum nulla voluntas est, inuitos rectè dici aiebat. Ait lex, POTESTAS NE ESTO. Quibus verbis non infectũ efficit diuortium, quod iure ciuili matrimoniũ soluit, sed liberta quæ diuertit dotis repetitionem, conubiũque id est alii iure nubendi potestatem adimit: licet constare matrimonium dici non possit, cum sit separatum. <sup>11</sup> Diuertere igitur liberta potest, & est quidem diuortiũ, confirmationemque facta inter eos donationis impedit, <sup>12</sup> sed alij nubendi lex ei potestatem denegat ac tollit, quandiu eam animo vxoris & pro coniuge patronus habeat. Satis enim in ciuile & in officiosum est, libertam nuptiis patroni honoratam & hoc beneficij cumulo auctam pro arbitrio patronum deserere. Et ideò benè Imperator Alexander <sup>13</sup> patronum qui libertam vxorem duxit legis beneficio contentum esse debere rescripsit, quod inuito eo nõ possit ea alij iuste nubere. Nec enim dixit, diuertere non posse, quia nec hoc lex sensit: Non tantũ autem vxorem alij esse non posse, sed nec in cõcubinato quidem à quoquã haberi huiusmodi libertã posse Iulianus cense

5. L. si duo.  
D. de re iu.  
1. si in tres  
D. de recep.  
qui arbitr.

6. Socrat.  
lib. 1. cap.  
xi. Sozom.  
lib. 1. cap.  
xxiii.

7. L. In cau  
sa versic.  
ceterum. D.  
de procura-  
torib.

8. L. soluen  
do. D. de ne  
got. gest. L.  
furiosus. D.  
de oblig. &  
act. L. 3. C.  
de hered.

9. vend. L. So  
lutione. L.  
Soluere. D.  
de solutioni  
bus.

10. L. In eo §.  
deinde. D.  
de ritu nup.

11. L. 2. §.  
voluntatem  
D. solutio  
matr.

12. Inuitum  
D. de seruit.  
urb.

13. L. vlt. D.  
de divor.

3. L. Et ideo  
D. de don.  
int. vir.

4. in 1. li-  
berta. C. de  
oper. lib.

§. l. 3. D. de concubin. 6. l. liberta D. soluto matr.

bat: quæ hoc impedimēto deficiēte, iure licito in cōcubinato a quouis haberetur. Planè si volūtate patroni liberta discesserit, conubium cum alio habet, & de dote cū patrono agere potest, quā ei dedit. Ait lex, QVAM DIVVOLT. Itaque si vel patronus esse, vel eam coniugē velle deserit, statim legisauctoritas finitur. Qualiquali autem voluntate intelligi possit, patronum animum habere defuisse, quasi in vxorem, legis huius beneficium amittit. Proinde si rerum amotarū cum ea egerit, vel aliqua actione quæ constante matrimonio inter eos non detur, vel accusare eam adulterij deprehensi cœperit, vel alio crimine postulare, quod vxori nemo obiicit, vel si aliā sibi desponderit, destinaveritue, aut cum alia matrimonium contraxerit, vel aliam in concubinato habere instituerit, incipit libertæ cum alio conubium esse, quod ea duntaxat ratione ei adimitur, quod patronus sibi eam nuptam velit. Quare, ubicunque vel tenuis intellectus videri potest nolentis nuptam, alteri se liberta vel in matrimonium, vel in concubinatum rectè dabit. Ceterum verba hæc, QVAM DIVVOLT, tractum habent. Vnde dubitari potest, si patronus ab hostibus captus sit, statimne huius legis necessitate liberta solvatur, an etiam expectandum ei sit, dum patronus redeat. Nodus sanè hic vindice dignus. In huius enim quæstionis dissolutione Iulianum & Vlpianum in contrarias sententias scissos inuenio: Verū ipsamet Vlpiani verba subiicere præstat. Si ab hostibus patronus captus esse proponatur, vereor ne possit ista conubium habere nubēdo: quemadmodum haberet, si mortuus esset. Et qui Iuliani sententiam probant, dicerent non habituram conubium. Putat enim Iulianus durare eius libertæ matrimonium etiam in captiuitate, propter patroni reuerentiam: Certe si in aliam seruitutem patronus sit deductus, proculdubio dissolutum esset matrimonium. Quæ verba apertissimè ostēdunt inter Iurisconsultos de hac specie minimè conuenisse. Captiuitate enim mariti matrimoniū merito iure soluitur, quod is in seruilē causam deductus, seruuſque hostiū factus, iam pro nullo habeatur. Itaque Triphoninus Captiuū ait, vxor tamen si maximè velit, & in domo eius sit, non tamen in matrimonio est. Similiter Paulus, si quis sic stipulatus sit, à marito, si quo casu Titia tibi nupta esse deserit, dotem dabis? hac generali cōmemoratione, & ab hostibus capta ea, cōmitti stipulationē, eoque genere bona gratia solui matrimoniū censēba-

7. l. vlt. §. vlt. D. de diuortis.

8. l. 3. D. ad Se. Terry.

9. l. In coitu re. D. de rit. nupt.

1. Nouel. 37 2. l. in bil. §. medio iē. pore D. de capt.

3. l. si quis sic stipulatur. D. Soluto matr.

cur. At Iulianus spreta hac stricta & subtili iuris ratione, durare adhuc matrimonium cēsebat, nec licentiam habere libertam, cuius patronus idēque maritus ab hostibus captus esset, ad aliud matrimonium migrare, non tantum propter debitam patrono reuerentiam, sed etiam, vt existimo, propter suspensum eius statum, & postliminij spem. Iuliani hæc sententia expressis verbis in alio Pandectarum capite consignata est, quod apertissimū aut oscitantiæ, aut inscitantiæ Triboniani exemplū est Ex libro enim lxij. Digestorum Iuliani hæc verba referuntur sub tit. de Diuortis. Vxores eorum, qui in hostium potestate peruenerunt, possunt videri nuptiarum locum retinere, eo solo, quod alij temere nubere non possunt. Et generaliter desinientium est, donec certum est maritum viuere in captiuitate constitutum, nullam habere licentiam vxores eorum migrare ad aliud matrimonium, nisi mallet ipse mulieres causam repudij præstare. Sin autem in incerto est, an viuus apud hostes teneatur, vel morte præuentus: tunc si quinquennium à tempore captiuitatis excefferit, licentiam habet mulier ad alias migrare nuptias, ita tamen vt bona gratia dissolutum videatur pristinum matrimonium: & vnusquisque suum ius habeat imminutum, eodem iure & in marito in ciuitate degente, & vxore captiua obseruando. Sed mihi, dicam ingenuè, caput hoc valdè suspectum est. Nā vix adduci possum vt credā pura puta esse Iuliani omnia verba, quæ sub eius nomine referuntur: quinimo à Triboniano aliquid fermenti esse inditū credibile est. Mouet me quod tota hæc clausula, Sin autē in incerto &c. nihil aliud cōtinet quàm quod διαρρηθῆναι ab ipso Iustiniano constitutum est Nouell. xxij. hi verbis, ἀλλὰ ἐν τῷ τῆ; ἀρχιμαλωσίαι, &c. id est, vt ego interpretor, Captiuitatis etiā casus, ad eam matrimonij dissolutionem quæ bona gratia fit, pertinet. Siue enim vir cum casum patiat, vxore in ciuitate manente, siue rursus muliere ab hostibus capta, vir in ciuitate remaneat, stricta quidem & subtilis ratio matrimonium soluit. Nam seruitute alterutri ex coniugibus contingente, fortunæ statūsque ac conditionis inæqualitas ac disparitas nuptiarum æqualitatem stare non patitur. Verum enim uero hæc benignius humaniūſque inspicientes, quamdiu quidem captiuum coniugem vita frui constat, dissolui matrimoniū non concedimus, nec ad secundas migrare nuptias, nisi velint hoc temere facere, & subiacere pœnis iniusti diuortij: vt vir quidem ante nuptias donationis, vxor verò dotis amissione multetur. Quod si incertum sit, supersit ne an non, qui in militiam

1. Nouell. 37.

2. l. vxores. D. de diuort.

abijt persona, tunc quinquennium expectare tam virum quam mulierem: post quod siue certus de morte nuntius afferatur, siue in incerto maneat impune nuptias contrahere licet: Ex quibus colligitur quinquennium illud, quo expectari absentis coniugis reditus debet, à Iustiniano præstitutum esse. Hoc enim ille sibi tribuit, his verbis *ἡρωρῶντες, & συνχωρῶμεν*, quâquam sequentia verba dubitatione fortè lectori mouerent in quibus ita est, *καὶ τὸτο γὰρ διὰ τοῖς καλῶν καὶ ἀγαθῶν ἀγαλῶσει τῶν τῶν καὶ ἡμῶν συμνημιται, καὶ ἡμεῖς δὲ εἰς τὸτο σύμφαυμ. ὡς τε ἐν ταύτῃ εἰς ἀγαλῶσει γίω γίνεται χωρὸς, ἔτω τῶν καὶ ἡμῶν διασώπων ἀλλήλων, καὶ εἰς ἐν τεύθεν κερδανῆ, ἔτε ὁ ἀνὴρ τῶν καὶ ἡμῶν, ἔτε ἡ γυνὴ τῶν καὶ ἡμῶν ἀωρεδν. ἀλλ' ἔχαστος ἔπι τῶν οἰκείων μδνεί*, id est, *Et hæc enim species in his dissolutionibus nuptiarum quæ bona gratia fiebant ab antiquis & qui nos antecesserunt, numerabatur. Nos quoque in hoc consentimus ut hinc neque diuortij detur occasio, sic distractis à sese personis, nec aliquis inde lucrum ferat, nec vir dotis, nec mulier ante nuptias donatiōis, sed vnus quisque sua sibi habeat: Quod sic accipi potest, ut per captiuitatem quidem, bona gratia dissolui matrimonium veteres crediderint. Quorum sententiæ Iustinianus, adhibito temperamento, quod exposuimus, accedit. Nam ante eum, quinquennium illud obseruatū non fuisse argumēto est. Cōstantini cōstitutio, quæ de quadriennio loquitur, quâ, quod causæ nostræ iugulum premat, integram subiungam. *Vxor, ait, quæ in militiam profecto marito post interuentum annorum quatuor, nullum sospitatis eius potuit habere indicium, atque ideo de nuptijs alijs cogitauit, nec tamen ante nupsit, quæ in libello ducem super hoc suo voto conuenit: non videtur nuptias inuisse fortuitas, nec dotis amissionem sustinere, nec capitali poenæ esse obnoxia, quæ post tam magni temporis iugitatem non temerè, nec clanculo, sed publicè contestatione deposita nupsisse firmatur. Videndum est igitur, ne Iustinianum in Iulianum infuderit Tribonianus, & veteribus noua more suo permisuerit. Nec abest suspicio, quin & alio capite huc quoque spectanti, quod ex Pauli lib. iij. ad Leg. Iul. & Pap. descriptū est, aliquid de suo inseruerit. Ita enim caput habet. *Non ut à patre filius, ita vxor à marito iure post liminij recuperari potest: sed tunc demum cum & voluerit mulier, & adhuc alij post constitutum tempus nuptia non est. Quod si noluerit, nulla causa probabili interueniente penes discidium tenebitur. Nam constitutum aliquod tempus fuisse ante poite-***

3. L. vxor. C. de re. pud. & de iudic. demo. rib. subl.

4. l. Non ut à patre D. de captiu. & postl.

riores Impp. non legimus. Et certè Quintilianus in ficto themate, quod hic prætermitti non debet, non certi alicuius temporis meminit: festinatio quidem mulieris, quæ morte mariti solo rumore intellecta, alij confestim nupsit, ita apud eū notatur. *Adulteros fuisse in matrimonio constat, nemo negat. Matrimonium duobus generibus soluitur, aut repudio, aut morte alterius. Neque repudiaui & certè viuo. Sed rumor de morte venit: Hæc statim nupsit alio marito. Quid est hoc aliud, quàm improbius adulterium? Meæ igitur nuptia manserunt, ille non fuerunt legitimæ. Legitimum porro matrimonium, nisi soluto priore esse non potest. An opinione contenti sumus? Et postea, Ergo vxor sic à me amata, testamento relicta heres, audita morte mariti, non inquisiuit ubi perissem: non aliquos certiores nuntios, non reuersuros à supremis officijs seruulos expectauit: Sed festinato quoque nupsit, & in nouæ libidinis amorem, mea iudicia protinus eludens transtulit mœchum in eadem domo, in eodem cubiculo, in eodem lecto. adeo mariti prioris etiam memoriam abiecerat. Desi ista mirari, cum adulterū vidi iuuenē, propter quem tamdiu vidua esse non posset, quàm diu peregrinari poteram ego qui vxorem sic amaui. TEMERE profecto, temere in longius ituri, coniuges nostras domi relinquimus, subito absentum obliuiscuntur, & pæne cum ipsis horis vxorum pectora refrigescunt. Mirer nunc ego vnderumor? quæ tam maligno mendacij causa, cui fingere istud expedierit? Ille profecto in causa fuit iuuenis, qui ad domum meam ductus est: quæsitus est locus. Sed hæc qui acutiore sunt ingenio præditi, & qui plus otij ad has res speculandas & perscrutandas habent, diligentius exactiusque me homine forensibus negotiis præpedito inuestigabunt, satiusque habebō, si me veluti classicum canente, ad huius rei accuratorem disquisitionem excitentur. Ut vt sit, aliam quandam huic quæstioni formam Iustinianus Nouella cxvij dedit: quæ Iuliani Patritij<sup>6</sup> verbis, quæ mētem Iustiniani perspicuè reddunt, proferam, *tubemus vxores militum siue in expeditionibus degentium siue in militiis siue milites sint, siue fœderati, siue scholares siue alia qualicunque armata militia decorati, expectare quanto scunq; annos in expeditione fuerint, etsi nullas literas, nullum responsum à maritis, (Sic enim proculdubio legendum) suis receperint. Sin au em talis mulier maritum suum defunctum audierit, non liceat ei statim ad alias nuptias peruenire, nisi prius peruenerit aut per se, aut per parentes suos, aut per aliam qualemcunque personam ad priores Numeri & char-**

5. Quintilian. declamatione. cccxlvij.

6. Nouell. Cōst. cxij. 387.

3. L. Senatusconsulto D. de ritu nupt. 4. L. libertum §. 1. D. de ritu nupt. L. si tutor. C. de intermatr. 5. L. Non solum §. 1. D. de ritu nupt.

6. L. si quis tutor D. de ritu nupt. 7. L. 1. l. 2. et 3. C. si ex falsis allegat. §. ult. Instit. de excus. tut. 8. L. quid si forte §. 1. D. de solutio. 9. L. libertum §. 1. D. de ritu nupt. 1. L. si quis tutor §. ult. D. de ritu nupt. 2. L. ult. C. de intermatr.

tularios scribimus. Tutores etiā pupillas suas vxores ducere, & filiis suis nuptū dare, Senatusconsulto, quod Marci Antonini & Commodi orationem subsequutum est, prohibebantur. 3 Eoque referendum est quod Marcellinus Hermogenis interpres νόμος ait, μη γαμείας τὴν ὀρφανὴν, μήτε τῷ ἐπιτρόπῳ, μήτε τῷ ἐπιτρόχῳ παίδι. Causam autem harum prohibendarum nuptiarum vel hanc præcipuam fuisse inuenio, 4 ne pupillæ in re familiari circumscriberentur ab iis, qui rationes eis gestæ tutelæ reddere necesse habebant, neue fraudes in tutelæ administratione commissæ, huiusmodi domestici matrimonij velamento, quo tutelæ reddendæ ratio inhibebatur, tegerentur, quas palam proferri Reip. expedit: Atque hanc prohibitionis harum nuptiarum causam Principum oratio continebat, 5 quam Paulus libro singulari persecutus erat: Ceteri etiam Iureconsulti satis multis verbis de eius sententia egerant. Summa verò eorum, quæ ad eius interpretationem adferri ex eorū concisis à Triboniano scriptis potest, hæc est: Sententia orationis Senatusconsultique contineri quoscūque qui rationibus reddendis sunt obnoxij. Non tantum igitur tutores, adolescentiumue curatores, sed & curatores ventri, bonisque dati Senatusconsulto apprehenduntur. Hi quoque qui tutores quidem non sunt, periculo tamen tutelæ suo nomine obstringuntur, à pupillarum nuptijs arcentur, quales sunt qui falsis allegationibus à tutela se excusauerunt. 6 Ad eos enim, postquam religionem ius dicentis circumuenisse eos constiterit, periculum administrationis exinde pertinet, ex quo dati sunt. 7 Idemque & in honorariorum tutorum persona seruandum est. Nam & hi malè gestæ tutelæ periculum præstāt. 8 Heredes quoque tutorum, licet extranei, quoniam rationes reddere debent, Senatusconsulti prohibitione concluduntur. 9 Ac vel eius qui tutor curatorue datus non iuste prouocauerit, heres quādoque victus, quia præteriti temporis damnum, si quod pupilla passasit, adgnosceret debet, ad orationem pertinet. 1 Alia est eius qui pro tutore curatorue, cum re vera tutor curatorue non sit, negotia administrat, causa. Hunc enim cum nomine tenus, quod sibi falso usurpat, tutor sit, à pupillæ, cuius res gessit, nuptijs repelli Leoni & Anthemio displicuit. 2 Et certè in toto ferè iure eorum administratio diuersam à tutorum admini-

stratione rationem habet. 3 Fideiussores planè nominatorè que tutorum, aut qui eos dedere magistratus, licet deficientibus tutoribus, in tutelæ periculum incidant, quia tamè ex alterius persona hoc incommodi eis accedit, Senatusconsulto non continentur. Quod verò Senatusconsulti verbis cauebatur, ne vxorem tutor pupillam suam duceret, sic acceptum est, ut ne desponderi quidem possit. 4 Sed nec filijs suis modò, verù etiam nepotibus nuptum dare pupillas suas tutores prohibiti intelliguntur. Quanquam enim de filiis duntaxat oratio loqueretur, ad nepotes tamen interpretatione producta est: quod prohibitionis eadè circa illos, quæ circa filios ratio versetur, licet si propriam verborum significationem spectemus, filiorum appellatio nepotes non complectatur. Nihil autem interest filij sui iuris an in patris potestate tutorisue vel curatoris sint. Naturales etiā liberi, licet in adoptionem dati & in alienam familiam translati sint, Senatusconsulto tamen comprehenduntur. 6 Adoptiui verò, tamdiu quoad de potestate dimittantur. Emancipatione enim adoptionis iura in totum perimuntur atque euanescent. 7 Ad Senatusconsultum quoque libertum pertinere placuit, qui filio suo naturali quem in seruitute suscepit, postea manumisso pupillam suam in matrimonio collocat. 8 Nec viuo demum tutore, verumetiam post mortem eius filius tutoris prohibetur eam vxorem ducere, cuius tutelæ rationi pater obstrictus fuit, siue heres ei exstiterit, siue abstinuerit, aut etiam exheres scriptus sit. Nam & fieri potest ut per fraudem in eum collata bona patris propter tutelam reuocari oporteat. 9 Quod si auus tutelam gesserit neptis ex filio emancipato nata, neptis ex altero filio eam rectè collocabit, cū hoc factum suspitione propter parem affectionis stimulum vacet. Sed & si filius tutor puellæ vel curator sit (potest enim) patri eius, fratriue qui in eiusdem patris potestate est pupillam non rectè nuptum dabit. 2 Patriæ namque potestatis vinculo vnus prope eiusdemque loco hæ inter se personæ habentur. 3 Quamquam autem in arbitrio matris pater esse voluerit, cui nuptum filia communis collocaretur, non tamen ea tutorem eius eligere poterit: cum contra voluntatem patris hoc ea facere videatur, qui ideo maximè eam prætulit, ne filia nuptias tutori

3. L. Apud si quis non tutor D. de doli except. l. 1. §. Cum col. 2. D. de eo qui pro tutor. l. debitor. D. de solutionib. 4. L. Senatusconsulto D. de ritu nupt. 5. L. non est matrimonium D. de ritu nupt. 6. L. Siquis tutor §. quamuis, et §. naturales eo tit. 7. L. quinetiam in filio D. cod. tit. 8. L. libertum. C. de interd. matr. 9. L. Non solum §. 1. D. de ritu nupt. 1. L. Si filius §. 1. et 2. D. de tut. et rat. dist. L. Tutorem. D. de adm. tutor. 2. L. Non solum §. sed et si filius fa.

D. de ritu nupt. 3. §. Et verò Instit. de inuilib. sup. l. frater à fratre. D. de condict. indeb.



commiteret. Concludamus igitur non esse matrimonium, si tutor vel curator pupillam suam vel adultam, vel eam cui administrationis rationes reddere debet sibi, liberisue suis iunxerit. Ex quo sequitur ut cum cesset matrimonium, nec dos esse intelligatur. <sup>4</sup> Consequens est etiam ob res constante huiusmodi qualiquali coniunctione discidij consilio subreptas, rerum amotarum actione denegari, <sup>5</sup> quæ diuortij nimirum, quo iusta matrimonia dirimuntur, causa competens ad illicitam coniunctionem non pertinet. Qua ratione motus quis, nec sine colore, inter huiusmodi personas factas donationes matrimonij impedimento deficiente valere diceret <sup>6</sup>. Sed cum quasi ad coniuges, non quasi ad extraneas personas fiant, nec ut sponsis factæ, quoniam & hinc sponsalia improbantur, consistere possint, idcirco placuit quasi ab indignis ea quæ donata sunt ablata fisco vindicari. Delinquent enim qui Senatusconsulto vetitas nuptias contrahunt. <sup>7</sup> Planè ex testamento tutoris in cuius matrimonium cõuenit pupilla sibi relicta capiet, nec quasi indigna repelleretur. Cõtrà tutor ex eius testamẽto capere nihil poterit. <sup>8</sup> Hoc tam variè, quod nõ ut tutori, ita pupillæ à tutore suo circumscriptæ illicitarum nuptiarum aduersus amplissimi ordinis decretum contractarum crimẽ obiici imputarique possit. Pupilla ergo, ut nullius culpæ adfinis, legatum quod testamento tutoris meruerit, consequitur. Per contrarium verò tutor, meritò indignus cui occasione huius coniunctionis lucrari commodique aliquid quærat, à petitione legati testamento pupillæ sibi relicti submouetur. Verùm cur infirmatur pupillæ à tutore cum quo in matrimonium coit, facta donatio, legatum verò testamento datum sustinetur? Differentiæ inter hanc & illam speciem ratio fortè est, quod quæ inter coniuges fit, matrimonij prætectu, intuitu, contemplationeque fieri intelligitur donatio. Cessante ergo matrimonio, quod donationi locum facit causamque prestat, vires habere huic caduco inmixta fundamento donatio non potest: At quod testamento relinquitur, cum non ita matrimonio acceptum feratur, sed & ob meritum extrinsecus accedere cõseatur, <sup>9</sup> ex eius solius vitio qui testamenti honore indignus habetur, corrui: Quò fit ut pupillæ, cui contra atque tutori, peccati huius propter ætatis sexusque infirmitatem legumque imperitiam ve-

4. l. 2. D. de iure dot.  
5. l. si concubina D. rer. amota.

6. l. cū hic status S. ult. D. de donati. int. vir.

7. l. 3. S. l. D. de donatio int. vir.  
8. l. ult. D. de legat. li. 1. l. 2. D. de his quæ vt indign.

9. l. Nec adiecti D. pro socio.

nia tribuitur, eorum quæ testamento tutoris meruerit, persecutio non denegetur. Creditur tamen cum his quæ diximus Ceruidij Scæuolæ responsum pugnare, quo fructuum, quos mulier ususfructus sibi à viro relicti nomine perceperit, repetitionem heredibus dandam respondit, <sup>9</sup> si postea illicitum fuisse matrimonium pronuntietur. Sed non est eadem omnium iniustorum matrimoniorum ratio atque causa. Nam pupillæ quidem quæ laqueis tutoris irretita eiusque vinculis constricta Senatusconsultum offendit, culpa excusata est: nõ æquè verò ceteris mulieribus, quæ inhonestis illicitisque senectutis maculauerint, parcimus. Itaque non eò minùs verum est, quod generaliter definitur, <sup>10</sup> nihil propter iniustum matrimonium capi posse & quod ab herede ignorante perperam solutū fuerit, id condici posse. Verum enimverò exceptiones quasdam Senatusconsultum patitur. Vna est, si desponsata à patre vel testamento destinata, denominataue sit puella tutori, filioque eius. Hanc enim patris voluntatem, quem huiusmodi conditionem filia quæsiisse, spectata prius planèque perspecta ac cognita futuri generi integritate atque fide verisimile est, ad exitum perducere Senatusconsultum non impedit. <sup>11</sup> Altera est, si rationes tutor curatorem reddiderit, & id temporis effluxerit quo in integrum restitutionem pupilla impetrare possit. Ante constitutum enim petendæ in integrum restitutionis tempus, pupillam suam rationibus redditis uxorem ducere, nec matrem quidem ex alio matrimonio factam potest. <sup>12</sup> Ex prætoris autem edicto olim post xx v. annos utilis annus ad petendam in integrum restitutionem, concedebatur. Ideoque cum Marcellus in hac quæstione annum vicefimum sextum nominat, <sup>13</sup> vtilem nõ continuū accipere vel ex ipsis disertis Triphonij <sup>14</sup> Valeriani que <sup>15</sup> Imperatoris verbis debemus. At hunc vtilem annum Iustinianus in continuū quadriennium tandem mutauit. <sup>16</sup> Pupillæ utique quæ ante reditam sibi tutelam decesserit, filiam tutor in matrimonium filio suo collocare non vetatur, quoniam rationum reddendarum obligatio æris alieni hereditarij vicem similitudinemque representat, ac sustinet, proindeque non minùs cum tutoris quam cum cuiuslibet alterius debitoris filio nuptias ea rectè contrahit. Mater etiam pupillæ cum tutore filia suæ vel

9. l. vxori D. de usufruct. leg.

1. l. 1. D. unde vir. eg. vxor. l. 1.

Claudius de his quæ vt indign. l. cõtra C. de incest. nupt.

2. l. non est matrimonium. D. de rit. nupt. l. 1.

si patris C. de interd.

marr. l. qui pupillam D. ad legem Iuliam de adul.

3. l. Quamquam D. de rit. nupt.

4. In l. qui pupillam D. de adulter.

5. In l. filius si quis eo tempore. D. de liber. & post.

6. l. si patris C. de interd. mat.

7. l. ult. C. de repon. in integ. resti.

8. l. non solam S. ult. de rit. nupt.

9. L. 2. C. de interd. ma. 1. L. Liberti in fin. D. de ritu nupt. L. curatorē C. de interd. matr. 2. L. Amplissimi. C. de excus. tut. 3. L. Marius. C. qui dicitur tutor. L. viri. D. de cur. futur. 4. L. 5. vlt. D. de eo qui pro tut. L. tutores S. qui sine. D. de adm. tut. 5. L. Cū pro. ponas C. de ritu. remat. 6. in L. licet C. de excus. tut. 7. L. Amplissimi. C. de excus. tu. 10. L. non est matrimonium. D. de ritu nupt. 8. L. Tutor. C. de interd. matr. 9. L. qui pupillā. D. ad L. Iul. de adulterio. L. Libertum. D. de ritu nupt. 1. L. 1. C. de interd. matr. 2. L. 2. C. de in ius voc. ex me-

filio tutoris, nuptias contrahere non prohibetur. Sed nec tutores pupillis suis vel curatores adultis filias suas neptisue nuptum dare verantur. Nulla enim ex hoc in matrimonio pupillarium rationum interuersio contingere potest, cui præcipuè periculo prospicere Senatus voluit. Itē qui ei quam in matrimonio habebat, absens & ignorans curator constitutus est, in Senatusconsulti poenam non incidit, dum tamen alius in eius locum substituatur: ne maritorum ignorantia fraus amplissimi ordinis consulto queratur. Quamquam enim curæ dario non teneat, propterea quod vxori suæ maritus curator creati non possit, tamē latagere ille debet, vt alius ei curator detur. Nam & qui non iure tutores curatorisue dantur, curare debent vt alij in eorum locum sufficiantur, aut certè pupilli propinquos ac necessarios certiores facere, vt alium ei tutorem petant, ne pupilli vtilitates ac negotia deserantur. Proinde cum Alexandro propositum esset, nurui socerum post liberos ex matrimonio susceptos curatorem datum, matrimonium quidem ritè ab initio contractum non vitari, iustusque esse ex eo quæsitos liberos rescripsit, verum omnis scrupuli amouendi causa insistere socerum debere, vt alius eius loco daretur. Qua de specie etiā consulti per epistolam Imp. Gallienus & Valeria, in hæc verba rescripserunt. Licet orationis sub Diuo Marco habitæ verba deficiant, is tamen qui post contractas nuptias nurui suæ curator datus est excusare se debet, ne manifestā sententiā eius ostendat & labem pudoris contrahat. Poena autem tutoris qui Senatusconsulto vetitas nuptias copulauit, ea est vt ei infamiae nota veluti de tutela confessio inuratur, quod huiusmodi coniunctione fraudem administrationis regere laborauerit. Corporalis quoque ei pecuniariaue extra ordinem prodignitate pupillæ coercitio imminet. Quinertiā lege Iulia de adulteriis, qui pupillam illicitè duxerit tutori postulari potest. Postremò relegatione plectendum libertum eundemque tutorem patronæ suæ Senatus celsuit, qui eam sibi filioe suo in matrimonio collocasset. Nec verò poenas has rusticitatis imperitiæue velamento deprecari quenquam posse Imp. rescripserunt. In his enim quæ malo more, nefariæque geruntur rusticitatis excusatio non accipitur, cui in his demum quæ

ex meris ciuilibus iuris præceptis pendent parci solet. Imperitiā autem in Imp. rescripto iuris legumque inscitiam accipio, quæ, vt Accursij obiectiones diluam, in masculis ferenda non est, aliter atque in feminis, quæ incesti, in quo sola iuris obseruatio interuenit, poenas non timent, ob concessam eis iuris ignorantiam propter quam, poenam quidem eis remitti, non item illicitam coniunctionem retineri censeo. Nam & citra existimationis suæ damnum dotis in eius matrimonij causam datæ cōditionem pupilla habet. MANDATIS quoque principibus præsidēs prouinciarum, procuratores Cæsaris, præfecti cohortis, aut equitum, Tribuni, & omnes omnino qui ali-quod in prouincia officium gerunt, inde oriundam vel ibi domicilium habentē vbi administrant feminam ducere prohibentur, potentatus, vt Papinia ait, ratione, ne videlicet potētia sua, in qua constituti sunt, ad vim abutentes matrimonia sibi arbitrio nutuque suo concilient, trahantque ac rapiant verius quàm ducant. Qua de causa & eis in ea prouincia, in qua administrant, emere, fenūque exercere, mutuamque pecuniā dare nō licet. Huiusmodi ergo matrimonia aduersus mandata contracta perinde nulla sunt, atque ea quæ contra amplissimi ordinis decretum à tutoribus eorumque liberis contrahuntur. Quod fit vt cum matrimonium non consistat, nec dos sit, nec rerum amotarum actio inter eas personas quæ ita coierint detur. Nec tamen, quia nuptiæ non sint, eò magis donationes inter eos factæ ratae erunt, ne ex delicto suo lucrum ferant, meliōrque sit in legē committentium, quàm eorū qui secundum præcepta legum in matrimonium conueniunt, conditio. Vtique enim prohibitas nuptias contrahentes peccare delinquerēque intelliguntur. Et ideo magis est, vt quæ ita donata fuerint, quasi ab indignis ablata fisco vindicentur. Exemplo certè pupillæ tutori liberisue eius nuptæ, prouincia lis mulier quæ contra mandata prouinciæ restori nupserit, ex viri testamento capiet. Imperatores autem Gratianus Valent. & Theod. quod de administrantibus veteri iure cautum erat, ad administrantium liberos, propinquos, comites, consiliarios, domesticos porrexerunt. Quos & arrharum sponsalium in matrimonij argumentum datarum, dispendio multant. Qua in parte iuri antiquo derogare eos fortassis existi-

3. L. si quis id quod D. de iurisdic. l. 1. omnium iud. l. 2. D. si quis in ius voc. non ter. l. vlt. C. de testam. 4. L. tutor C. de interd. matr. 5. L. si quis officium l. præfectus D. de ritu nupt. 6. L. Auferitur §. quod à præfide D. de iure fis. l. 1. C. de contracti. iud. l. principali bus D. si cert. per. l. eos. C. eo. tit. 7. L. si concubina D. rer. amor. 8. L. Cū hic status §. vlt. D. de dona. int. vir. 9. L. 3. §. 1. D. de dona. int. vir. 1. L. vlt. D. de legat. 1. c. 2. L. Cū hic status §. vlt. D. de dona. int. vir. 3. l. 1. C. si re

*Est prouin-*  
*cial.*

*4. L. si quis*  
*officium D.*  
*de rit. nup.*

*7. d. L. si*  
*quis offi-*  
*cium.*

*8. L. eos qui*  
*D. de ritu*  
*nuptiarum.*

*9. L. Et si cō-*  
*tra C. de nu-*  
*ptiis.*

met qui penitus non inspexerit. Nam ad arrharum acceptarum restitutionem mulierem quæ finita administratione nuptias implere nolit, adigi Paulus indicat: Id quod Accursium cruciat, qui in huius nodi dissolutione tanquam in salebra hæret. Nos ut eius hæsitati certa & vera distinctione medeamur, multum interesse dicemus sponsaliæne sola, an verò nuptias prouinciarum (rectores arrhis datis tū cum prouinciã cum imperio obtinerent, contraxerint. A perfectis siquidem & consummatis nuptiis quas mandata principalia stare non patiuntur, mulieribus prouincialibus abire ac recedere etiam cum arrharum lucro Impp. permittit. At si in prouincia sponsalia duntaxat contracta sint, quia nihil in ea re cōtra mandata peccatum est, quæ huiusmodi cōditioni renūtiare voblet acceptas arrhas restituere iure ac meritò debet. Et hæc est inter Impp. constitutionem Paulique locum ab Accursio non animaduersa differentia. Nuptiis enim duntaxat, nō etiam sponsalibus qui in prouincia aliquod officium gerebant, interdicebantur. Quinetiam desponsam sibi antequam in prouinciam mitterentur vxorē illuc ducere non prohibebantur, vt potest cessante ea, quæ sibi eos in prouinciis suis matrimonia conciliare vetabat, ratione. Sed etsi contra mandata in prouincia matrimonium contractū esset, post depositū tamen officium si in eadem voluntate vterque perseveraret, iustæ efficiantur quæ ab initio non constiterant, nuptiæ. Indèque postea vt ex iusto matrimonio editi liberi iusti legitimique patri fiebāt, quemadmodum Paulus lib. v. Responsorum tradit, qui à Gordiano testis laudatur. Planè filiabus suis conditionem in prouincia quærere, easque in matrimonium collocare & dotē eis constituere non prohibebantur, qui prouinciis præerant filiis verò vxorem prouincialem ducentibus consentire auctoritatēque præstare minimè poterant. De cuius varietatis ratione si mihi liquere negem, inscitiam meã potiùs quàm antiquorum inconstantiam prodam: Quorum etsi mentem mihi planè perspectam esse ac cognitam adfirmare non auisim, tamen, quatenus eam coniectura assequi licet, duplici eos ratione adductos credo. Primùm enim presumptum habuisse existimo, patrem impèsiore affectu maiorique contentione in conditione filio quærenda, quàm in filia nuptum collo-

canda laboraturum. Nam filia quidem in manum mariti micipiūmque transeunt familia suæ finem adferunt: per filios verò cum nomine paterna familia propagatur. Ne verò filiorum amore domūque amplificandæ studio, ad matrimonia filiis concilianda sua potestate abuterentur, frenis quibusdam ac habenis cohibendam esse eam potentiam censuerunt, nihil quicquam tale eos filiarum causa attentaturos rati. Huic rei argumento est quod filiam suam pupillo suo tutor in matrimonium collocare nō prohibetur: filio verò suo pupillā in matrimonium collocare prohibetur. Licet ergo tam in filia quàm filij nuptiis auctoritas patris intercedere deberet, verendā tamen magis esse præsidis in collocando filio, quàm in filia nuptum danda impressionem prudentes censuere. Alia quoque veteres ratio in hoc iure statuendo mouere potuit, quam Cyno, Ludouico Romano, & nostri seculi Varroni πολυγραφολάτω D. Tiraquello, cuius memoriam sanctè ac religiose pro eo ac debeo colo, placuisse video. Difficilis nimirum virginalis pudicitia custodia, cui adseruandæ continentiaque ne Argi quidem lumina plerunque sufficiunt. Cauendum enim fortè (nihil enim præter coniecturam habemus) prudentes cogitarunt, ne dum paternæ administrationis exitus expectatur, interim filia iam matura viro & plenis nubilis annis, ætatis lubrico sexusue infirmitate vel amoris fabricis, aliquod dedecus admittat. Cui malo obuiam vt irent patri liberam conditionis filia quærenda potestatem vel ipso administrationis suæ tempore relinquendam esse censuerunt: Et certè probabile est subuisse animos veterum illam cogitationem, puellarum nuptias non æquè ac masculorum coniugia protrahi ac differri posse, moramque nullam nuptiarum tempestiuitati, si famæ ac castitati puellarum consultum velimus, fieri oportere. Qua eadem ratione filiam suam pupillo iam adulto nuptum dare, si tam adulto quàm puellæ hæ nuptiæ cordi sint tutori permisere, ne fortè in longius tempus protractis nuptiis vel moræ impatientia, vel amali ille cebris in aliquod probrum prolatur, ex quo ei generique ac toti familiae labes ac macula aliqua quæ deinde elui non possit, aspergatur. At masculorum coniunctionem quæ citra periculū existimationisque damnum proferri possit, inhibendam ob-

*1. L. liberū*  
*§. vlt. D. de*  
*ritu nupt.*

impresionis metum merito in superioribus speciebus censuerunt. Iuvat hanc ratione quod aliis quoque in hoc nuptiali iure diuersam masculorum ac feminarum causam iuris auctores constitunt. Nam puellae quidem post xxv. annum, non item masculi impunè citra parentum consensum matrimonia contrahunt. Eodemque refert Accursius, quod ex Paulo recensetur, Nepoti uxorem ducenti & auum & filium consentire debere: nepi verò nubenti voluntatem auctoritatemque aui sufficere. Tempus est autem, ad ea iniustarum nuptiarum genera, quae naturali ratione, sanguinisque iure prohibentur, nostra se conuertat oratio. Qua in quaestione, fixum sit hoc, ratumque principium ex gradu ascendenti descendentiue, in infinitum duci uxores non posse: te inter eas personas quae parentum liberorumue locum inter se obtinent non incestas ac nefarias nuptias esse. Veluti inter patrem, & filiam vel auum & nepem, matrem & filium vel auiam & nepotem, & usque in infinitum. Nec interest ex iustis nuptiis eiusmodi personarum coniunctio descendat, an non. Nam & ex ancilla susceptam & vulgò quaesitam filiam ducere genitori minimè conceditur, seruilisque adeò cognationes in hoc nuptiali iure obseruantur, cum contra naturale ius, pudoremque sit à patre filiam quomodocumque quaesitam duci. Proinde in his quidem speciebus incestum iure gentium committi constat, cuius veniam sexus infirmitate deprecari mulieres non possunt, cum naturali iure, cuius utpote non scripti sed nati ignorantia defendi nequeunt, prohibitam rem admiserint. Nec enim sexui, nec rusticitati in his parcitur, à quibus naturalis nos ratio, animis nostris diuinitus indita, atque impressa auocat. Fœditas verò illarum coniunctionum lucet ipsa per se, ut qui in ea flagitia prolabitur, humanitatem ipsam exuisse uideatur. Ciceroni utriusque incestum cum filia Q. Fufius Calenus apud Dionem lib. xlv. obiicit his verbis *καὶ πρὸς ἐπὶ καὶ τὸ σῶμα αὐτῆς διαβάλλειν ἐπεχείρησε ποσαὶ ἢ ἀσελγεία καὶ ἀκαθαρσία καὶ πάντα τὸν βίον χρώμενος, ὥστε μηδὲ τῶν συγγενεσάπων ἀπέχεσθαι ἀλλὰ πλὴν τε γυναῖκα παραγάγειν καὶ τῶν κατέρω μοιχέειν. Quo nomine & eum Salustius ita infectatur. Verum ut opinor, splendor domesticus tibi animos atollit: uxor sacrilega ac periurii delibuta, filia matris pellex, tibi incundior atque obsequentior quam parenti par est.*

2. L. oratione §. 1. D. de ritu nupt.

1. L. nuptia D. de ritu nupt. §. Ergo Instit. de nupt.

2. L. Et nihil D. de ritu nupt.

3. L. Adopt ut §. seruilis .D. de ritu nupt.

4. L. vlt. D. de ritu nupt.

5. L. si adulterium cum incestu D. ad L. Inl. de adulter.

Prædicabat etiam Caligula, matrem suam ex incesto quod Augustus cum filia Iulia commisisset, procreatam. Ac nec cum his quidem personis quae vel ad finitatis ratione, parentum liberorumue vicem repræsentant ac sustinent, iustae sunt nuptiae. Quare nec nouercam, nec proauis nostri uxorem, nec socrum, id est uxoris nostrae matrem, nec eiusdem auiam, proauiam, ducere licet. Cuiusmodi nuptias Cicero pro Cluentio Auito sic exagitat. *Lectum illum genialem quem triennio ante filiae nubenti strauerat, in eadem domo sibi ornari & sterni expulsa atque exturbata filia iubet. Nubit genero socrus, auspiciis nullis, nullis auctoribus, funestis ominibus. O mulieris scelus incredibiliter præter hanc unam in omni vita inauditum. O libidinem effrenatam & indomitam. O audaciam singularem.* Planè duplicem causam cur nouercam uxorem ducere non liceat, Philo Iudæus in libro *ἑὶ τῆς ἐν εἰδὲ*, reddit: *διά τε, αἰτ, πλὴν εἰς τὸν πατέρα τι μὴν καὶ διότι μητρίας, καὶ μητρὸς ὄνομα συγγενὲς, εἰ καὶ μὴ τὸ τῆς ψυχῆς σύνωδον πάθος.* Unus mihi tam infasti matrimonij cupiditate incensus Imperator Antoninus Caracalla occurrit, de quo Spartianus his verbis. *Inter est scire quemadmodum nouercam suam Iulianus duxisse dicatur: quae cum esset pulcherrima & quasi per negligentiam se maxima corporis parte nudasset, dixissetque Antoninus, vellem si liceret, respondisse fertur, si liber, licet. An nescis te Imperatorem esse, & leges dare, non accipere? Quo audito furor inconditus ad effectum criminis roboratus est. nuptiasque eas celebravit, quasi sciret se leges dare, cum verè solus prohibere debuisset: matrem enim (non alio erat dicenda nomine) duxit uxorem: ad parricidium iunxit incestum.* Sed nec socero nurus, pronurusue rectè nubit. Socerum enim parentis locum obtinere placet. Ac eiusmodi quidem nuptias quas cum priuigno nouerca, cum socero nurus contraxerit incestas ac nefarias esse nemini dubium est, cum pudori, castitati, verecundiae naturali, publicaeque honestati tales coniunctiones aduersentur. Quinimo ex his causis incestum iure gentium admitti Papinianus scribit. Quod quibusdam parum consideratè dictum videtur, qui pro certo ac constanti ponunt, inter parentes & liberos duntaxat iure gentium incestum committi. Cum his verò qui ex latere veniunt, vel cum adfinibus, iure ciuili, vel moribus: Ipsumque adeo sibi contrarium esse Papinianum persuadent, qui pecuniae in huiusmodi nuptiarum causam datae repe-

3. Suetonius in Calig. Cap. 23.

7. L. si quis mihi §. 1. & L. Adoptius §. nunc videamus l. Aristot. D. de ritu nupt. §. Ergo Instit. de nupt.

8. L. quia parentis D. solut. matr.

9. L. vlt. D. de condict. sine caus.

titionem tribuat, quæ utique denegaretur, si in specie hac iuregentium incestus admittitur: quod mulieribus iuregentium non æquè ac civile ignorare liceat. Verùm ego Iureconsultorum coryphæum vellicari non nisi gravatè ferre possum. Nec enim adduci possum, ut credam, aliquid tanto viro excidisse, quod à nobis, qui in illius magistri verba iurare addicti sumus, iure notari queat. Credo itaque eius auctoritate fretus (nec vana fides) incestum iuregentium committi, si socero nurus, vel nouerca priuigno commisceatur, quòd hæ personæ sibi parentum ac liberorum loco sint, ut paulò ante comprobauimus, & quòd omnium mentibus à natura insita ratio ab huiusmodi coniunctionibus abstinendū dicitur. Confirmat nostram immo verò Papiniani opinionem, quod alibi legimus, Si adulterium cum incestu committatur, utpote cum priuigna, nuru, nouerca, mulierem quoque similiter plectendam: cuius tamen impunitum esset facinus, si sola iuris civilis obseruatione tale crimen in turpibus numeraretur. Verùm cum iuris naturalis ignorantiam vitiis suis obtendere ac prætexere mulieres non possint, meritò eis eiusmodi incestus, cuius turpitudinē indita diuinitus ac impressa ratione notā habent, pœna irrogatur. Atque hoc dubium faciebat in specie à Papiniano tractata: videbatur enim pecunia à muliere illiciti matrimonij nomine data repeti non posse, quasi contra iusgētium ac naturalem honestatem (cuius ignoratione excusari nequit) data esset. Sed alia ratione repetitionem cōpetere Papiniano subtiliter placet, quia scilicet matrimonij effectu nō secuto, quod nec iure sequi possit, nulla magis causa dotis dandæ quàm turpis intercesserit. Porro nec patris quoque sponsam vxorem ducere filio conceditur: non magis quàm patri filij sponsam, quamuis nec illa nouerca, nec hec nurus propriè dici possit. Ab earum quoque quæ in parentum concubinato fuerint nuptiis abstinendum, piè Imp. Alexander constituit. Contra religionem quippe ac pudorem est cum eâ matrimonium coire filium, quæ pudicitiam patri prostrauerit. Sed & per adoptionem quæsitaram cognationum rationem hîc habendam prudentes censuere. Etenim matrimonio inter se iungi eæ personæ non poterant, quæ per adoptionem parentum, liberorum uel loco sibi esse cœpissent, in tantum ut etiam

1. L. si adulterium cum incestu D. ad l. Iul. de adult.

6. L. liberi C. de nupt.

dissoluta adoptione idem iuris maneret. Itaque eam quæ per adoptionem filia, neptisue facta esset, ne post emancipationem quidem vxorem ducere qui quandoque adoptasset, poterat.

Hæc de ascendentiū, descendentiūque gradu. Iam, extransuerso etiam cognationis gradu quædam illicitas esse nuptias, non est obscurum. Ac primum inter fratrem, sororem prohibitas esse nuptias nemini dubium est, siue ab eodem patre eademque matre progeniti fuerint siue ab altero eorum. Æmilius Probus in proemio lib. de vita excellent. Imperat. Nequie enim Cimoni fuit turpe Atheniensium summo viro sorore germanâ in matrimonio habere. At id quidē nostris moribus nefas habetur. Cuius tamē Cimonis facti Herodianus aut inscius aut immemor, lib. i. historiar. Πολομύχου μὲν, αἰτ. καὶ μέγχι ἀδελφῆς ἰδίαις, ἔρωτος ἀσχηρῆσαι, ὡς τε τὸς μακεδόνων καὶ ἑλληνων νόμοις. At Dio apud Ægyptios patrio id more receptū fuisse ita scribit, de Cæsare agens. Καὶ μετὰ τὸ εἰς Ἑκκλησίαν εἰσελθὼν τὸν τε Πολομύχον, καὶ τὸν Κλεοπάτραν παρεθήσατο καὶ τὸς διαθήκας τῶν πατρὸς αὐτῶν ἀνέγνω, ἐν αἷς ἐκείνοις μὲν συνοικῆσαι ἀλλήλοις καὶ τῆς Αἰγυπτίων ἐπιτέτεια καὶ βασιλεύειν ἐγγεγραπτο. Romanis utique semper detestabilis & execranda talis coniunctio visa est. Ideoque inter ea quæ de Caligula non ut principe, sed ut monstro, Suetonius narrat, hoc refert, quod cum omnibus sororibus suis stupri cōsuetudinem fecerit, quem etiam Drusillam germanâ Cæsar Longino Cōsulari collocatam abduxisse, & in modū iustæ vxoris propalam habuisse scribit. Quam eius turpitudinem nec Dio lib. Lix. silentio prætermisit: Eademque se ac famam suam turpitudine scdasse Othonem Xiphilinus memorat: Plutarchus autem in Parallelis ex Chryssippi lib. i. Rerum Italicar. auctor est Papyrium quendam Romanum amoris impatientia & ardore victum Camiliam sorore grauidam fecisse. Quod ubi Papyrius Tolucer communis eorum pater rescivit, ense filia misit, quo puella pectus transfodit, eodémque leti genere scelestum ac nefarium facinus suum Papyrius deinde expiauit. Planè per adoptionem factâ sororem, adoptione soluta, vxorem ducere nihil vetabat. Adoptione enim quæsitata fraternitas, eò vsque demum impediebat nuptias, quoad maneret adoptio. Similitérque ado-

7. §. Ergo Instit. de nupt.

8. L. Quin- etiam D. de ritu nupt.

9. §. Inter Instit. de nupt.

1. Lib. xliij.

1. Cap. xxxij.

2. L. quin- etiam D. de ritu nupt.

3. L. per adoptionem D. de ritu nuptiarum.

priui patris matrem, materteram aut neptem ex filio ducere uxorem post emancipationem nemo impediatur, cum in extranei causam emancipatione redactus esset. Adoptiuae utriusque sororis filia, uxor duci vel constante adhuc adoptione licito iure poterat, quod ea cognata non esset, cum auunculus nemo fiat per adoptionem. Hæ enim demum cognationes per adoptionem contrahuntur, quæ adgnatorum ius adiunctum habent. <sup>4</sup> Pari ratione alio patre natam patris sui sororem adoptiuam ducere quis poterat, quoniam inter eos nulla cognatio intercedebat, quippe cum ea patri adgnata non esset. Sed & Maximianus Constantino per adoptionem nepoti filiam in matrimonium tradidit. Quod Panegyrici Maximiano & Constantino A A, dicti auctor tantum abest ut vituperet, ut summis contra laudibus efferat, *O diuinum, inquit, tuum Maximiane iudicium qui hunc tibi iure adoptionis nepotem, maiestatis ordine filium, etiam generum esse voluisti, diui inquam Constantij filium, in quem se prima illius iuuenta transfudit.* Quinetiam Claudius Neronem à se in locum filij adoptatū, cum filia sua Octauia matrimonio iunxisse legitur, <sup>5</sup> filia tamē prius in adoptionem tradita, ut in alienam familiam eo modo transferretur, ne soror fratri nubere videretur. Agrippina enim Claudio persuasit Domitium Neronem priuignum filij loco adoptare, quem non filium modò, sed & generum habere voluit: verum ne frater sororem ducere videretur, adoptionis commento necessitudinis species dissoluta est. Inde Iunoni Octauia à Seneca comparatur: sic enim in Tragœdia eius nominis scriptum est.

*Tu quoque terris*

*Altera Iuno, soror Augusti*

*Coniunx' que graueis vince dolores*

Et aliàs,

*Fratris thalamos sortita tenet*

*Maxima Iuno soror Augusti*

*Sociata thoris.*

Alio etiam loco,

*Mæret infelix soror*

Simili

4. l. 2. s. parui d. de suis & legit.

5. Dio. lib. lxx.

*Eademque coniunx.*

Simili ioco etiam Cicero Clodium incestus cum sorore susceptione laborantem in Oratione pro domo sua profcindit. *Sed tamen, inquit, ego mihi sororem virginem ascisco: tu sororem tuam virginem esse non fuisse. Sed vide, ne tu te debeas Iouem dicere, quod tu iure eandem sororem & uxorem appellare possis.* Enimvero fratrum sororumue filias uxores ducere non licebat: <sup>2</sup> Tametsi talium coniugiorum usum in Rempub. inuehere, Claudium Imperatorem Agrippinae Germanici fratris sui filiae amore incensum, tentasse literis proditum est, ut publici iuris velamento eius matrimonij à se cum ea contrahendi turpitudine tegetetur. Sic enim de hoc eius incœpto Tacitus lib. x i i. scribit. *Claudius Senatum ingressus, decretum postulat, quo iustæ inter patruos fratrumque filias nuptiæ etiam in posterum statuerentur: neque tamen repertus nisi vnus talis matrimonij cupitor, Taledius Severus Eques Romanus Tranquillus in Claudio de eius nuptiis agens. Verum, ait, illecebris Agrippinae Germanici fratris sui filiae per ius osculi & blanditiarum occasiones allectus in amorem, subornauit proximo Senatu qui cogere se ad ducendum eam uxorem, quasi Reip. interesset, dandamque ceteris veniam talium coniugiorum, quæ ad id tempus iniusta habebantur. Ac vix vno interposito die confecit nuptias, non reperitis qui sequerentur exemplum: excepto libertino quodam & altero primipilari.* Zonaras in Claudio, etiam Senatusconsulto huiusmodi nuptiarum ius sancitum fuisse in eius principis gratiam tradit, auctore que Vitellio Senatum, Claudium ad Agrippinam uxorem ducendam adegisse. *Ἐντεῦθεν, ait, ὁρμηθέντες οἱ βεβληταὶ πρὸς τὸν Κλάυδιον, ἦλθον καὶ ἠνάγκασαν δῆθεν αὐτὸν γῆμαι, καὶ ψήφισμα ἐποίησαντο, ἐξείνοαι ῥωμαίοις ἀδελφίδας ἀγαθῆς.* Inde Seneca in libro ioculari de eius Imperatoris morte, *Vt Romæ, ait, sacra essent quibus ipse, cum sibi Agrippina nuberet, xxx Senatoribus, innumeris Equitibus Romanis maiestatis principium dedit.* Huc pertinent & hi, quos subiungam, Senecæ ex Octauia versus, quibus nutrix Octauiam Claudij filiam ita adfatur.

*Frustra parentis inuocas manes tui*

*Miseranda, frustra: nulla cui prolis suæ*

H

2. l. nemini C. de nupt. l. vltim. C. de incest. nupt. s. fratris Instit. de nuptiis.

*Manet inter umbras cura: qui nato suo  
Præferre potuit sanguine alieno satum  
Genitâ que fratris coniugem captus sibi  
Toris nefandis flebili iunxit face.*

Ne tamen tam mali exempli nuptiæ impostero frequentarentur, Nerua vetuit, ne fratrum filia ducerentur. Id quod Xiphilinus in Nerua tradit, his verbis, *ἐνομοθέτησε δὲ ἄλλ' ἀπὸ τῆς μητρὸς χιζέας πινὰ, μήτε ἀδελφιδὴν γαμῆν.* Etenim ne de nominis vi ac potestate dubitetur, quod idem auctor de Hadriano. *πραγὰς, αἰτ, ἀδελφιδὴν ἐγγαμῆται,* Aelius Spartianus ait, *Traiani per sororē neptē eum uxorem accepisse.* Et Pollux lib. vi i i Onomastic. & Hesychius & Moschopulus ἐν συλλογῇ ἀπικῶν ὀνομάτων. ἀδελφιδῆς, aiunt, ὁ ἀδελφῆς ἢ ἀδελφῆς ἢ ὅς ἐστι θυγατὴρ αὐτῆς ἀδελφιδῆ. Porro illam Neruæ constitutionem Zonaras, Tomo ii. Annal. ita refert, *ἔπος ἐνομοθέτησε καὶ τὸ μὴ πινὰ παρθονα μύρια πρὸς ῥωμαίοις ἐκτέμνεας μήτε μὴν ἀγαθὸς πρὸς γάμον ἀδελφιδῆν.* Domitianum tamen nō puduisse cum Iulia fratris filia, tanquam cum uxore palam versari Suetonius & Xiphilinus memoriæ prodiderunt. Eadem tam perdita ac flagitiosa libidine incitatum Heraclium Imperatorem ferunt: cui non aliunde id morbi vitii que quo laboravit, quàm ob illicitam cum fratris filia coniunctionem accidisse, vulgò creditum, Zonaras his verbis scribit. *λέγεται δὲ καὶ τὸ ἀδιδιον αὐτῆς φρεφόμδιον ἀνω τὸ ἔρον πέμπειν καὶ εἰ μὴ στανίς ἐν τῷ ἔξω αὐτῆς ἐπίθετο, καὶ τῆς πρὸς τὸν αὐτῆς τὸ ἐκκελημῆδον ἀνεδίδοτο, ὃ συμβαλεῖν ἐδοκεῖ ἀπὸ τῆς ἐκθεσμον μίξιν τῆς ἀδελφῆς παίδος.* Acerbilimè verò huius generis nuptias vt incestas & nefarias Impp. Anastasius & Zeno Constitutionibus suis damnarunt. In quas etiam B. Ambrosius lib. V i i i. Epistol. ita inuehitur. *Tu copulare paras filium tuum & neptem ex filia, hoc est, vt accipiat sororis suæ filiam, diuersa licet matre quàm socrus editus. Interroga nominum religionem. Nempe auunculus iste illius, illa huius neptis vocatur: nec ipse te reuocat sonus nominum, cum hic auum resonet, illa hoc nomen ad auunculum quod ad auum referat. Et mox, Quid est quod dubitari queat, cum Lex diuina etiam patruales fratres prohibeat conuenire, qui sibi quarto sociantur gradu? Huiusmodi autem gradus tertius est, qui etiam iurè Ciuili à consorcio coniugij exceptus videtur. Sed nec in*

cōcubinatu quidem haberi sororis filia, licet libertina, absque incesti crimine potuit. Non modo autem fratris aut sororis filiam verumetiam neptem proneptem ducere non licet. An autem mortuorum fratrum coniuges, fratribus superstitibus ducere licuerit, quæri potest. Sanè eam quæ in manum fratris conuenerit, dissolutis seu morte seu repudio nuptiis duci citra incesti crimen non posse Imperatorū constitutionibus cauetur. Quamquam non desunt aliquot in Romana historia eiusmodi matrimoniorum exempla. Lucius enim Tarquinius cui post regnum scelere partum Superbi cognomen facta indiderunt, Tulliam minorem natu quæ Arunti fratri nupsit, Arunte veneno ab ea sublato, cum ipse coniugem quæ suam eodem genere interemisset, duxit. Quod nefarium eius factum Dionys. Halicarnas. lib. iiii. duobus locis refert, quorum vtrumque, vel ea præcipue de causa, vt si qua inest in verbis aut obscuritas, aut deprauatio, adhibita explanatione, emendationeue tollatur, subiungam. Prior sic habet. *τοιαῦτα δὲ τῆς Τυλλίας λεγόμενης ἀσκήτως δέχεται τὰς ἀρέσεις ὁ τερκύνιος, καὶ αὐτῆς δὲ αὐτῆς πίσει καὶ λαβὼν τὰ πρωτόλεια τῆς ἀνοσίαν γάμων καὶ ἀπαρχῆς ἀμύδιος ἀπερχεται, διεληθόντος δὲ ἔργου πολλῶν μετὰ ταῦτα χρόνῳ, τοῖς αὐτοῖς πάθειν σποθνήσκουσιν ἢ τε πρεσβύτερα τῆς Τυλλίας θυγατρῶν καὶ ὁ νεώτερος τῆς τερκυνίαν. Et mox. μετὰ τῆς τοῦ ἔργου ἔργου ἐπὶ ἀγαμέλλης οὐ τερκύνιος, ἀπάγεται γυναῖκα τῆς Τυλλίας. In quibus verbis obscuritas nulla est quæ lectorem vel mediocriter literis Græcis tinctum morari possit, præter quæ in voce πρωτόλεια, cuius scripturam corruptam esse fortè suspicabitur qui apud Suidam leget *πρωτέλεια* à Lycurgo ἐν τῷ πρὸς τὴν ἱερείαν, appellari τὰ πρὸ τῆς τελεθῆσαι πρὸς τὴν εἰς τὸ θεῖον ἀναφερομένων γνώμην ἢ διδόμενα. *πρωτέλεια* insuper, vt & Pollux lib. iij. Onomastic. scribit appellatō eum diem, ἐν ᾧ εἰς τὴν ἀκρίπολιν τῆς γαμῆδῆν παρθενὸν ἀγασσιν οἱ γονεῖς εἰς τὴν θεὸν καὶ θυσίας ἔπιτελέουσιν. Et certè pro quolibet auspicio, initio, primordio, verbum hoc Græci vsurpāt. Lucianus in Dialogo, *πρὸς τῆς ἔπι μίτῳ συνόντων, ἀρχομαι δὲ ἀπὸ τῆς πρώτης δειπνῆς, ἣν δοικὴ ὁ σὲ εἰκὸς δειπνήσειν τὰ πρωτέλεια τῆς μελλῆσαις συνάσαις.* Gregorius etiam Nyssenus Lazari à mortuis excitationem, οἰονεὶ τὰ πρωτέλεια τῆς καθολικῆς αἰασάσεως vocat. Cum verò verbum hoc primitias significet, nemo dubitabit erratum esse in Hesychij codi-*

3. l. etiā D.  
de rit. nup.  
4. S. fratris  
Instit. de  
nupt. l. so-  
roris D. de  
ritu nupt.  
5. l. Nemi-  
ni C. de  
nupt. l. fra-  
tris C. de in-  
cest. nupt.

cibus in quibus legitur *πρωτολείων ὑπάρχον*. Est enim emendandum *πρωτελείων ἀπαρχῶν*. Verum in eodem significato vocem quoque *πρωτολείων* à Græcis usurpari obseruavi. Suidas. *πρωτολεία, ἢ πρώτη λεία, τὰ πρῶτ' ἔργα λήϊων ἐξάρετα*. Idem *πρωτολείων, ἀπαρχῶν*, interpretatur. Hesychius etiam *πρωτολεία ἀρπαγματα, πρωτολείων ἀπαρχῆ*. In Etymologico quoque *πρωτολεία* exponuntur esse τὰ πρῶτ' ἔργα λήϊων καὶ τῶν τῶ πολέμου λαφύρων ἐξάρετα καὶ πρώτιστα. Ἄσφ' εἰώθασιν οἱ πρώτοι λαμβάνειν, οἷον ἢ χρυσίης ἐδόθη τῶν Ἀγαμέμνωνι καὶ ἢ βρυσηῖς τῶν Ἀχαιῶν. διηλοῖ δὲ τὰς ἀπαρχάς. Vtramuis ergo lectionem sequare, sensus constabit, eumque locum sic fidus interpretes Gelenius reddidit. Delibato incestarum nuptiarum fructu abiit. Alter eiusdem Helicarnassei in quo de incestis Tarquinij & Tullia nuptiis fit mentio locus, ita habet. Ἀλλ' εὐχὴς ἀμα τῶν αὐτῶν ἀπαρχῶν τὰ θανάσιμα ἔργα, πρὶν ἡμέραν θείναι τὰς ὑποδέξαμεν τὰ δύσθηα σώματα πυρῶν, φίλων εἰς τὰ καὶ μὴς ἐπέτελει καὶ τὴν ἀνδροφόνον νύμφην ὅτι τὸν ἀδελφῆς θάλαμον ἤγετο, τὰς ἀπορήτας πρὸς αὐτὴν ἐμποδῶν ὁμολογίας, ἀνόσια καὶ ἐξάγια καὶ ἑτέ' ἐλλάδος ἕτε' βαρβάρων ἡνὶς ὑδαμύθι γινόμενα πρώτος εἰς τὴν Ῥωμαίων πόλιν εἰσαγαγῶν καὶ μόνος. Quem totum locum sic Gelenius Latino sermoni tradidit. Hic est ille Tarquinius, Quirites, qui nondū princeps fratrem germanum quia malus esse nolebat, veneno sustulit, assumpta ipsius vxore in societatem eius sceleris, suæ coniugis germanæ, quam Diis inuisus adulterio iam ante corruerat. Hic vxorem pudicam matronam & communium liberorum parentem eodem veneno eodem tempore necauit: ac ne paululum quidem lugubri specie dissimulauit vtrumque veneficium, sed confestim post perpetrata hæc egregia facinora, fumantibus etiam tum rogis, qui misera illa corpora exceperant, ipse amicos excipiebat nuptiali epulo, ducens viticidâ sponsam in sororis thalamū ex pacto nefario, primus ac solus inducēs in hęc urbē morē impiū & apud omnes Græcos simul atq; Barbaras nationes abominabilem. Sed quid ea, quæso, verba significant *πρὶν ἡμέραν θείναι τὰς πυρῶν*. Equidem, ne diutius lectorem teneam, adfirmare non dubitabo legendum esse *πρὶν ἢ μαρτυρηθῆναι*, quod idem valet atque *πάνταθι καὶ σβέσασθαι*, id est, ante extinctas pyræ flammās. Quo loquendi genere Homerus vsus est *Illiad. lib. 10.*

Ἄσφαρ ἐπεὶ καὶ πῦρ ἐλάη, καὶ φλοξ ἐμαρῶνθι.  
vbi Eustathius, Obiterua, ait, τὸ ἐμαρῶνθι λεχθὲν ὅτι σβέσεως φλογος. Et mox: φλογος, inquit ille, μαρτυρήσις ὑπομύει ἀθηρῶν. Aristoteles verò in libro *περὶ νεότητος καὶ γήρας* inter *μαρῶνθιν* & *σβέσιν* differentiam facit, Ἀλλὰ μὴν, ait, πρὸς γὰρ δύο ὁρῶμεν φθοράς, μάρῶνθιν καὶ σβέσιν. τὴν μὲν γήρας, τὴν δὲ βίαιον. Rursus quis est sensus horum Halicarnassei verborum *ἐμποδῶν ὁμολογίας*, Et hic quoque, vt breue id faciam, mendum est, legedumque *ἐμπεδῶν*, id est firmās, stabiliens, vt sit sensus, illicitas nefandisque cum ea iungēs pactiones. Hesychius enim *ἐμπεδῶν* interpretatur *βεβαοί, πιστοί, ἀσφαλίζεται*. Vt autem ad ipsam historiam redeam, Liviū lib. 1. ab. v. c. eadem nuptias breuiter nec, nisi adhibita fusiori Halicarnassei narratione, perspicuè ita perstringit *Ant.* inquit, *Tarquinius & Tullia maior* (Sic enim ex Halicarnasseo emendo) *prope continuatis funeribus cum domos vacuas nouo matrimonio fecissent, iunguntur nuptiis, magis non prohibete Seruio quam approbante*. Nam verbum hoc *iunguntur*, non ad Aruntem & Tulliam maiorem, sed ad L. Tarquinium & Tulliam minorem de quibus ante egerat, referri placet. Ceterum etiam Marcum Crassum fratris defuncti vxorem duxisse, & quos habuit liberos, ex ea suscepisse eum, nec in aliquam factum hoc reprehensionem incurrisse, Plutarchus in eius vitæ initio scribit. Quod cum mirum quibusdam videatur, verbū *συνουκῆν*, quo Plutarchus in ea historia referenda vtitur, interpretatione qua menti planè auctoris repugnat, ad nudam cohabitationem, vt & τὸ παῖδας ἔσχεν, ad puerorum eius educationem, deflectere nituntur. Sed quam aliam Crassus, quem minimè cœlibem vitam duxisse imò verò iustos liberos sustulisse, ex lib. v. Epistolar. familiarium Ciceronis, & ex eodem Plutar. in Cicerone, constat, vxorē duxerit, legere nō memini. Nam alterius Plutarchus, cui vsitatum est ipso limine cuiusque genus, familiam, coniugium narrare, non meminit, & verbum *συνουκῆν* de nuptiali coniunctione passim non apud Plutarchū modò sed & reliquos Græcos auctores accipi, tam certum est quàm quòd certissimum, vt testimonia proferre putidæ sit futurum diligentia. Atque adeò vetustum & antiquitate ipsa spectabilem ex insigni Reginae bibliotheca manuscriptū Plutarchi codicem exhibuit mihi egregius ille Antistes qui nobis



incredibili felicitate Plutarchum Gallicè loquentem reddidit, in cuius margine ad eum locum fugientibus iam literis adnotatum est, Crasum uxorem fratris duxisse, ut proinde temerè mutanda non sint quæ certam semper & constantem interpretationem habuere. His accedere & Apuleij ex Apologia pro seipso secunda, aliud exemplum velim, quo cum viri mortui fratre Pudentillam tabulas nuptiales fecisse narrat. Quod non posset aptius quàm ipsimet auctoris verbis referri. Sic autem habent. *A Emilia Pudentilla, quæ nunc mihi uxor est, ex quodam Sicinio Amico, qui cum antea nupta fuerat, Pontianum & Pudentem filios genuit, eosque pupillos in potestate aui relictos paterni (nam superstiti patre Amicus decesserat) per annos ferme quatuordecim memorabili pietate sedulo aluit. Non tamen libenter in ipso ætatis suæ flore tandiu vidua, sed puerorum auus, in uitam eam conciliare studebat alteri filio suo Sicinio Claro, eoque ceteros procos absterrebat, & præterea minabatur, si extraneo nupsisset, nihil se filiis eius ex paternis eorum bonis testamento relicturum. Quam conditionem cum obstinate propositam videret mulier sapiens, & egregie pia, ne quid filiis suis eo nomine in commodaret, facit quidem tabulas nuptiales, cum quo videbatur, cum Sicinio Claro. Verum enimvero vanis frustrationibus nuptias eludit, eo ad dum puerorum auus fato concessit relictis filiis eius heredibus, ita ut Pontianus, qui maior natus erat, fratri suo, tutor esset. Hæc ille. Ut cunque sit huiusmodi matrimonia aliquot sunt Imppp. Constitutionibus ut & Concilij Neocæsariensis Canone secundo interdicta. Quinctiam cum quidam Ægyptiorum mortuorum fratrum coniuges matrimonio sibi copularent hoc colore, quod virgines mansisse dicerentur, fortè profecto à Iudæis instituto, apud quos fratri mortuo fratrem superstitem sobolem excitare inualuerat, Ze no eas nuptias, & qui eas contraxisset & inde susceptos liberos incestarum nuptiarum pœnis subiacere voluit. Titum plane Imperatorem animam agentem vnus duntaxat peccati pœnitere se testatum esse Xiphilinus refert. Coniecisse autem quosdam id esse, quod Domitiani fratris uxorem in delitiis habuisset. Uxor etiam sororem ducendi & sic duabus fororibus coniungendi licentiã, dissoluto quoquomodo coniugio Impp. Val. Theod. & Arcad. submouerunt. Honorius tamen Imp. duas Stiliconis filias, vnã post alteram in matrimonio habuisset fertur. Sed quàm infelix fuerit vtriusque matrimonij exi-*

6. l. fratris & l. ult. C. de incest. nupt. l. Nemini C. de nupt. l. i. & l. 3. de incest. nupt. in C. Th. 7. l. licet C. de incest. nuptiis.

8. l. fratris C. de incest. nuptiis.

tus, historiarum monumenta testantur. Ex neutra enim liberos suscepit, mortèque immatura vtraque obiit, ut Zonaras Tomo iij. Annalium his verbis narrat. ἀγεται, ait, de Honorio loquens, τοῖνον τὴν φιλικῶνος θυγατέρα μακρὰν εἰς γαμετῶν ἡς γαυῶσις λέγεται τὴν ἀδελφῶν αὐτῆς θυγατρίαν γῆμαι ἐν ἀτελεί τὴν χλῆσσαι ἡλικίαν κεκλήνη δὲ παρὰ ἐτελεύτησεν. Marcellinus comes in Chronico. *Stilico comes, cuius duæ filiae Maria & Tharmantia, singulae uxores Honorij principis fuere, vtraque tamen virgo defuncta, spreto Honorij regno, regnum inhians, & quæ sequuntur. Paul Diaconus lib. xxxiij. Appendicis ad Eutropium. Ei, ait, soboles nulla fuit. nam duæ Stiliconis filiae, id est, Maria & Tharmantia, (Sic enim lege) vna post alteram ei coniugio sociata, vtraque Dei iudicio inopinata morte præuentæ ex hac luce virgines migraverunt. Verum enimvero duorum fratrum liberi inuicem rectè matrimonio iungebantur, consobrinæque; uxoris ductæ sit in plerisque Pandectarum locis merito. Sic Tullias duas Regis Seruij Tullij filias, Lucio & Aruntij Tarquinij Prisci Tarquinij nepotibus, consobrinis suis matrimonio iunctas fuisse Dionys. Halicarn. lib. iij. Antiquit. refert. Sed manifestum est eò loci in Græco Codice erratum. Ita quippe scriptum est. ἦσαν δὲ τὴν δύο θυγατέρες ἐν γυναικὸς γινόμεναι ταρκυνίας ἢ ἐνεργήσεν αὐτῶ βασιλεὺς ταρκύνιος πάντα τὰς κόρας ὅτι γαμῶσις. γινόμεναι ἐκδίδεται τοῖς ἀδελφοῖς τῆς μητρὸς αὐτῶ υἱοῖς τε ταρκυνίας. Secundum quam scripturam hoc Halicarnas. ait. Erat Seruio Tullio filiae duæ, ex uxore Tarquinia, quam ei Rex Tarquinius Priscus despondit. Has puellas viro maturas, & nobiles nuptum dedit fratribus matris earum nepotibus Tarquinij. Quod vtrique consistere non potest. Nam Tarquiniam Tullij coniugem filiam fuisse Tarquinij Prisci inconfesso est: Lucium verò & Aruntium Tarquinius, non Tarquinij Prisci filios, sed nepotes fuisse omnino ad seueratione contendit Halicarnassæus, & eorum qui contra sentiebant opinionem accuratissimè refutat: pugnantque inter se nepotes fuisse Tarquinij, & fratres Tarquinia Tullij coniugis: & hoc modo non consobrinis sed auunculis iunctæ fuissent Tullia. Itaque proculdubio legendum est, ἀδελφιδόις, id est nepotibus per fratrem, seu υἱοῖς ἀδελφῶν τῆς ταρκυνίας. Nam, ut ille exiitimat, ex Tarquinij Prisci filio qui in iuuenili ætate mortem obierat, nati erant. Quamquam Luio probabilis videtur Tulliarum non consobrinos eos, sed au-*

1. §. duorum Institut. de nupt. l. 3. et l. non solum §. 1. d. de ritu nupt. l. 2. C. de Institut. & substitutio. 2. L. 23. & 24. d. de cõdit. & demonstrat. l. Lucius §. filius d. de cõditi. & demonstratio.

culos fuisse. Verba eius hæc sunt lib. i. ab v. c. *Hic Lucius Tarquinius Prisci Tarquinij Regis filius neposue fuerit parū liquet: pluribus tamen auctoribus filium crediderim. Fratrem habuerat Aruntem Tarquinium mitis ingenij iuuenem. his duobus, ut ante dictum est, duæ Tullie filie nupserant.* Hæc ille. Sunt & alia complura eiusmodi matrimoniorum in historiis exempla. Namque Augustum filiam suam Iuliam Marcello Octaviae sororis suæ filio nuptū dedisse à Dione<sup>1</sup> & Suetonio<sup>2</sup> relatum est: Et filium suum immatura morte præreptum Quintilianus lugens, auunculo eum generum destinatum significat.<sup>3</sup> Sed & Constantius Imp. sororem suam quam in Græcis Socratis codicibus Helenam, in Latinis Calsiodori Constantiam nominari inuenio, Iuliano in matrimonium tradidit, atque ita patruelis patrueli iuncta est: Iulianus enim ex Constantio Constantini magni consanguineo fratre ortus erat. Quāquam sobrinarum diu Romæ ignorata coniugia Tacitus lib. xij. memorat, posteaque tempore addito ea percrebuisse. Id quod & Plutarchus ἐν αἰτίαις confirmat has nuptias plebiscito permittas significans, *ἡδύτερον γὰρ, inquit, ὄκνησαν τὰς ἀφ' αἵματος, ὡσπερ ἔδεν νύ πτθίδας ἔδεν ἀδελφὰς γαμῶσιν, ἀλλὰ ὁ πρὸ σιωπῆς ῥησαν ἀνεψιάς σιωποῦν ἐν τοιαύτης αἰτίας.* Ἄνθρωποι χρημάτων ἐνδεῖς τὰ δὲ ἀλλὰ χρεῖστος ἢ παρ' ὄπτινα ἐν τῷ δήμῳ τῶν πολιτεωμένων ἀρέσκων ὅπτιληρον ἀνεψίαν ἔχειν ἔδοξε, ἢ πλεῖστον ἐπ' αὐτῆς, ὅπτι τῶν δὲ γενομένων αὐτῆς κατηγορίας ὁ δῆμιος ἀφείσ τινα αἰτίαν ἐλέγχειν ἔλυσε τὸ ἐγγλημα. Ἰηροισάμωμος πᾶσιν ἐξείναι γαμῶν ἀχρεῖς ἀνεψίων τὰ δὲ ἀνωτέρω κεκαλυπτοῦται. In cuius loci versione interpres non contemnendo errore lapsus est. Vocem enim ἀνεψιάς, de neptibus interpretatur, qua tamen appellatione illic sobrinæ exaudiēdas constat. Duorum enim fratrum sororumue filij, filia ἀνεψιοί & ἀνεψία inter se sunt. Cuius rei vel locuples testis est Pollux lib. iij. Onomast. cap. iij. At religiosissimus Princeps pudorisque, continentiae ac pietatis diligentissimus Theodosius maior, etiam has nuptias prohibuit, quemadmodum Ambros. lib. viij. Epist. indicat.<sup>4</sup> Nam & Theodosius, inquit, Imperator etiam fratres patruales & consobrinos vetuit inter se coniugio conuenire, & seuerissimam poenam statuit si quis temerare ausus esset fratrum pia pignora, Et tamen illi inuicem sibi æquales sunt, tantummodo quia propinquitatis necessitudine & fraternæ societatis ligantur vinculo, pietati eos voluit habere quod nati sunt.

1. Lib. liij.
2. in Augustino cap. 63.
3. Lib. vi. Orat. in Iulio cap. 10.

4. Epist. lxxvi.

sunt: Meminit & huius Theodosij Cōstitutionis Sextus Aurelius Victor, apud quē ita est, *illa tamē quibus Traianus aspersus est, vinolentiā scilicet, & cupiditatē triumphandi vsque eo detestatus est, ut bella nō mouerit, sed inuenerit, prohibueritque lege ministeria lasciuia psaltriasque comestationibus adhiberi, tantū pudori & cōtinentiæ tribuēs, ut consobrinarū nuptias vetuerit tanquā sororū.* Quæ posteriora verba ab eo sumpsit Paul. Diaconus lib. xij. appendicis ad Eutrop. apud quē tamen *mysteria* pro *ministeria* in nonnullis codicibus malè legitur. Atq; ad hanc Theodosij cōstitutionē referendū est quod B. Augustin. lib. xv. de ciuitate Dei cap. xvi. scribit. *Experti autem sumus de conubiis consobrinarum etiam nostris temporibus propter gradū propinquitatis fraterno gradui proximum, quā rarō per mores fiebat, quod fieri per leges licebat, quia id nec diuina prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana, veruntamen factum etiam licitum propter vicinitatem horrebatur illiciti, & quod fiebat cum consobrina pene cum sorore fieri videbatur, quia & ipsi inter se propter tam propinquam consanguinitatem fratres vocabantur, & pene germani sunt.* Et mox, *Veruntamen quis dubitet honestius hoc tempore etiam consobrinarum prohibita esse coniugia, nec solum secundum ea quæ disputauimus propter multiplicandas difficultates, ne habeat duas necessitudines vna persona, cum duæ possint eas habere, & numerus propinquitatis augeri, sed etiam quia nescio quo modo inest humanæ verecundiæ quiddam naturale atque laudabile, ut qui debet causa propinquitatis verecundū honorē, ab ea cōtineat quāuis generatricē tamen libidine, de qua erubescere videmus etiā ipsam pudicitia cōiugalem.* Verū illam Theodosij cōstitutionem Arcadius & Honorius eius filij postea abrogauerunt, quorum de ea re cōstitutio in Codice Iustiniani extat in hæc verba.<sup>4</sup> *Celebrandis inter consobrinos matrimoniis legis huius salubritate indulta est, ut reuocata prisca iuris auctoritate, restinctisque calumniarū fomentis matrimonium inter consobrinos habeatur, siue ex duobus fratribus, siue ex duabus sororibus, siue ex fratre & sorore nati sint.* Refragari tamen duæ eorundem Imperatorum cōstitutiones videntur, quæ in Cod. Theodos. referuntur. Vna<sup>5</sup> sub titul. Si nuptiæ ex rescripto petāt. Altera<sup>6</sup> sub tit. De incestis nuptiis. Sed ego Anianum illi cōstitutionibus violentas manus adtulisse suspicor, cum ad Gothorū suorum, in quorum gratiam ex Alarici Regis præcepto breuiarium Codicis conscripsit, vsū, Cōstitutiones illas ac-

4. l. Celebrandis C. de nupt.

5. l. vn. si nupt. ex rescript. in C. Th.

6. l. 2. de incest. nupt. in C. Th.

commodare studeret. Quod ex collatione earundem Constitutionum, cum iis quæ sub iisdem Rubricis in Codice Iustiniani collocatæ sunt, deprehendi potest. Neutro enim loco in Iustiniani Codice de consobrinarum nuptiis fit mentio. Sed & Constitutioni Arcadij & Honorij incestarum nuptiarum pœnam, idem Anianus ex gentis suæ moribus, ignis & proscriptionis ab eorum Imperatorum sententia abhorrentem inseruit: Ac ut semel dicam quod sentio, quod Tribonianus in Pandectas & Codicem pro imperio ausus est, idem Anianus in breuiarium Codicis Theodosiani & Caij Institutiones admittere non dubitauit. Itaque illis in libris plerumque Tribonianus & Anianus pro antiquis Iurisconsultis atque Imperatoribus leguntur. Quale illud est, quod apud Caium legitur, Ciues Romanos effici seruos tribus modis, id est testamento, aut in Ecclesia, aut ante Consulem manumissos: Nec enim dubium est Caium cum Cicerone Topicis, & Vlpiano in Instit. scripsisse, libertos eos ciues Romanos esse qui testamento, censu, vindicta, manumissi essent: Manumissiones quippe in Ecclesia Caius ignorabat, quibus vires atque robur Constantinus Magnus primus tribuit. Et ne longius à proposito recedam in earundem Caij institutionum Epitome cuius Anianus, aut eiusdem farinae alius auctor est, fratres amitinos vel consobrinos in matrimonio iungi nulla ratione permitti scriptum est: quod tamen ciuili iuris antiqui definitioni aduersatur. Similiter Theophilus ad suorum quoque temporum rationem ius antiquum detorquens, contra Iustiniani mentem scripsit, δύο ἀδελφῶν ἀρρένων ἢ θυγατρῶν πατρὸς ἢ μητρός ἀδελφῶν ἢ θυγατρῶν πατρὸς ἢ μητρός γάμον συνάπτειν. Nam earum nuptiarum prohibitio ex recentiorum Imperatorum Constitutionibus, quibus & Conciliorum Ecclesiasticorum canones accesserunt, descendit, ut ex Concilio Romano quod imperante Leone sub vrbis Romanæ Episcopo Gregorio iij. celebratum est, patet. Gothorum utique ut & Alemannorum legibus consobrinorum consobrinarumque interdictæ fuere nuptiæ. In Alemannorum enim legibus quas eis Clotharius Rex descripsit, ita legitur Tit. xl. *Nuptias prohibemus incestas: itaque uxorem habere non liceat socrum, nurum, priuignam, nouercam, filiam fratris, filiam sororis, fratris uxorem, uxoris sororem: Filij fratrum, filij sororum, inter se nulla præsumptione iungantur. Si quis*

contra hoc fecerit, à loci Iudicibus separetur, & omnes facultates amittat, quas fiscus adquirat. Si minores personæ sunt quæ se illicita coniunctio ne polluerunt, careant libertate. seruis fiscalibus adgregandæ. Nunc ad reliqua pergamus: Amitam quoque & materteram uxorem ducere non cõceditur, quoniam, ut Iustinianus ait, parentum loco habentur. Vnde apud Halicarnassæum Brutus inter cetera quæ Tarquinio Superbo vitio dat, hoc ut probrum obiicit, quod Seruij Tullij uxorem Tarquiniam, ait, τὸ ἐξ ὅτι κεν αὐτῶν τιμῶν ὡς περ μιντέρα πατρὸς ἀδελφῶν ἔσσαν, antequam iusta fecisset, laqueo necasset. Itaque exterminandi Syllani sibi inuisi causa Nero, accusatores Tacito teste summisit, qui cum Lepida amita eius, Casij uxore incesti eum postularēt: Illæ etiam sunt iniustæ nuptiæ, quæ legitimo consensu carent. Nuptiæ enim consensu solo contrahentium fiunt. Quare cum furioso furiosæ matrimonium contrahi nequit: Nec enim voluntatem, sensum, intellectumue habent. Dissimilis mutorum surdarumque causa est, quibus ut pote consensus, compositibus valetudo, vitiumque corporis, quo minus matrimonium contrahant, non obest. Quamquam autem matrimonium contrahi furor non sinit, ritè tamè contractum non dissoluit, similiterque qui sponsalibus contrahendis ab initio impedimento fuisse, furor idem postea superueniens iam contracta ea, non dirimit. Cæterum non consensum duntaxat eorum qui coeunt, sed & eorum quorum in potestate sunt, exigimus. Idque naturali ratione, ex qua parentibus debita reuerentia atque obferuantia descendit, & ciuili iure, quo patriæ potestatis ius receptum est, desiderari, bellè Iustinianus scribit. Filiis ergo familias absque parentum voluntate iustas nuptias contrahere non licet. Qui locus à tam multis iam tractatus est, ut nobis non sit hæc disputationis materia attentanda: Quid enim, ut de nostris taceam, ad D. Claudij Espencæi eruditissimi celeberrimique Theologi, qui hanc quæstionem accuratissimè persecutus est, copiam addi possit? Itaque ea demum quæ instituti operis ratio necessariò postulat, attingam. Consequens est autem cum iustæ ac legitimæ non sint nuptiæ, patre minimè consentiente factæ, iustos ac legitimos non haberi inde susceptos liberos, ac per hoc, ut rectè Apuleius infert, spurios nasci. Nec refert viuone auo, an post eius mortem in lucem edatur, cum

1. S. Itæ amitam Instit. de nupt. 2. lib. xvi. 3. I. suorum D. de sponsalibus. 1. oratione in si. D. de ritu nupt. 4. L. ubi non voce. D. de regul. iur. 1. in quibus cunque D. obligat. & actionibus. 5. L. patre furioso D. de his qui sunt sui vel al. d. L. oratione in si. D. de ritu nupt. 6. d. L. furor. 7. L. 2. D. de ritu nupt. 8. L. veluti. D. de Instit. & iure. 9. D. L. patre furioso. 1. Instit. de nupt. 3. lib. v. de asino aureo.

patris morte, quæ ab initio iniustæ sunt, non eò magis conualescant nuptiæ. <sup>4</sup> Infamiæ quoque notam non euadere eum, qui sciens vxorem non iussu eius, cuius in potestate est, duxerit, ipsa Prætoris de infamibus edicti verba declarat. <sup>5</sup> Nepoti autem vxorem ducenti tam auum quam patrem consentire debere, Paulus testatur. <sup>6</sup> Aliter atque si neptis nubat, cui solius aui auctoritatem sufficere, tradit. Cum tamen pater furit, auus sapit, aui solius auctoritas sufficit. <sup>7</sup> Qua in specie, aut etiã si morte, vel emancipatione pater de medio sit subductus, procedere posse Accursius monet, quod Paulus ex Põponio scribit, <sup>8</sup> si nepotem ex filio, neptem ex altero filio in potestate habeam, nuptias inter eos me solo auctore contrahi posse. Veritas vice, si auus furore teneatur, nepoti patris solius voluntas exquirenda est. Is planè cuius pater ab hostibus captus est, si non intra triennium reuertatur, vxorem ducere potest. <sup>9</sup> Pari modo si ita pater absit, vt vbi gentium ac locorum sit ignoretur, post triennium ex quo apertissimè fuerit ignotus vbi degat, & an superstes sit, non prohibentur <sup>1</sup> liberi eius vtriusque sexus nuptias absque eius auctoritate contrahere. Sed & si ante triennium nuptias contraxerint, dummodo eam filius vxorem duxerit, vel filia huiusmodi homini nupserit, vt certum sit patrem, si adesset eius cõditionem nõ repudiaturũ, nuptiæ valebunt. <sup>2</sup> Enimvero consensus patris non ita accipiendus est, vt satis sit mandatum filix mariti quærendi dedisse: nam & personam patri demonstrari oportet. <sup>3</sup> Patris autem ad nuptias constituendas iussum præcedere oportere Iustinianus tradit: <sup>4</sup> Vbi iussum pro voluntate accipiendum esse constat. Velle porro intelligitur si quod agitur sciat, nec euidenter dissentiat. <sup>5</sup> Contrariam quippe voluntatem contestari necesse est. Alioquin si taceat, nec contradicat, pro iussu & consensu silentium eius interpretamur: <sup>6</sup> Itaque nutu & literis, & per nuntium patris consensum interponi posse dubium non est. <sup>7</sup> Consensus porrò qui in aliis causis exigitur, vel ex intervallo & negotio iam perfecto, cum effectu interponitur. Quod & in hac quæstione probare videtur, Iustiniano prima fronte contrarius, Papinianus, cum ita scribit. <sup>8</sup> *Dotis promissio non ideo minus valebit, quòd ignorante initio patre nuptiæ factæ fuerint, si postea* <sup>9</sup> *consensu* D. de oblig. & act. l. 2. D. de pact. 8. L. Dotis promissio D. de iure dot.

4. l. Paulus  
D. de stat.  
hominum.

5. l. 1. D. de  
his qui not.  
infami.

6. l. oratio  
ne §. 1. D. de  
ritu. nupt.

7. l. si nepos  
D. de ritu  
nuptiar.

8. l. si nepo  
ti D. de rit.  
nupt.

9. l. si nepos  
§. vlt. D. de  
ritu nupt.

1. l. si ita  
D. de ritu  
nupt.

2. l. si fi  
lius D. eod.  
ritulo.

3. l. genera  
li D. eod. tit.

4. Instit de  
nuptiis.

5. l. in spon  
salibus infi  
nie D. de spõ  
sal. arg. l. 2.

6. l. velle D.  
sol. matr.

7. l. si vt  
proponis C.  
de nupt.

8. Arg. l.  
pater §. 1.  
D. de acq.  
hered. l. cõsensu D. de oblig. & act. l. 2. D. de pact.

consenserit: cum omnis dotis promissio futuri matrimonii conditionem accipiat. Verum ea, meo quidem iudicio, verba sic accipienda sunt, vt ex die accommodati consensus incipiant nuptiæ esse, exindèque dos peti possit. Quod ita censuisse Papinianum iudicio sunt sequentia eius verba, quibus obiicit, maritum à petitione dotis, cuius promissio ad primas tantum, non etiam ad secundas nuptias extenditur, repellendum videri: Cui obiicitur locum non esse in specie proposita significat, quoniam accedente demum patris consensu, nuptiæ esse cõperint. Planè consensus sui qualemqualem, dum tamen apertam, significationem dare patrem sufficit, nec tabulis nuptialibus ac dotalibus subscribere eum necesse est. Hæc ita in filiorumfam. matrimoniis seruantur: Emancipati verò filij citra parentum consensum iustas nuptias contrahunt, <sup>1</sup> nec interesse existimo iustæ ne ætatis sint, an minores xxv. annis, cum huius distinctionis nullum Consultorum Imperatorumue auctorem habeamus: Quamquam Accursio aliter videri scio, qui quod de feminis propter infirmitatem ac fragilitatem sexus ab Impp. cõstitutum est, <sup>2</sup> ad mares porrigere nulla probabili ductus ratione conatur. <sup>3</sup> Proinde minimè dubium est, iustè quæsitos filios videri, & suos heredes patri adnasci, quos emancipatus ex vxore, non ex patris voluntate ducta susceperit. Atque adeo ad bonorum quoque possessionem aui, cuius testamento præteriti sunt, eos patre mortuo admitti Vlpianus scribit. <sup>4</sup> *Non enim, ait, per rescissionem is qui filius iustus est efficitur non filius, cõ rescisio quò magis admittatur, nõ quò minus, adhibeatur. Quæ verba obscurum sensum habet, & licet ijs facem iam eruditissimi aliquot viri prætulerint, quia tamen, vt est in prouerbio, *ὄχι καὶ τρίς τὰ καλὰ*, deciesque repetita placent, non pigebit familiarem eorum verborum interpretationem facere. Sciendum est igitur, Prætorem qui iuris ciuilibus custodiendi magis, quàm conuellendi atque infringendi causa constitutus erat, ne apertè contra iuris ciuilibus auctoritatem emancipatis præteritis subuenire videretur, quibus tamen naturali ratione succuri æquum erat, eorum capitis diminutionem rescindere cõfueuisse, <sup>5</sup> vt eo facto quasi potestati patris redditi, contra tabulas bonorũ possessionem peterent. Hac ratione, dixisset aliquis nepotè què emancipatus ex matrimonio citra cõsensum*

8. l. filius  
D. de ritu  
nuptiar.

9. l. vidue  
& l. in cõ  
iunctioe C.  
de nupt.

1. in glos.  
d. l. filius.

2. l. 3. §. si  
mancipa  
tus. D. de  
bon. poss.  
cõtra tabu.

3. l. Sed cõ  
præterito §.  
vlt. D. de  
bon. posses  
sionibus.

patris contracto sustulit, auitum testamentum per bonorum possessionem expugnare non posse, quoniam ut ad bonorum possessionem admittatur, rescindi patris eius emancipatione necesse sit: qua rescissa videbitur non ex iustis nuptiis nepos hic conceptus, quæ parentis consensu (in cuius potestatem per rescisionem emancipationis patrem eius redigimus) non fuerint firmata. Huic tacitæ obiectioni Ulpianus occurrens, rescisionem emancipationis (sic enim interpretari conuenit) quæ à Prætoris fit, eò comparatam esse scribit, ut aditum ad bonorum possessionem emancipatis patefaciat. Proinde quæ admittendorum eorum causa inducta est, excludere & repellere eos nõ debet, ne quod pro eis fauorabiliter constitutum est, in eorum incommodum atque odium retorqueatur. Ut enim scitè Quintilianus in Declamationibus argumentatur, quæ pro aliquo scripta est lex, contra eum valere non debet. Itaque rescissio hæc, quominus iustus patris filius nepos intelligatur, non efficit, sed contrà, viam sternit ad bonorum possessionem petendam: Nam etiam si, ut subiicit Ulpianus, tam turpem & ignominiosam vxorem duxisset filius, ut toti familiæ eius adfinitas dedecori esset, nihilominus tamen ex ea natus filius ad bonorum possessionem admitteretur. Potuit enim auus in eum suo iure uti, & eum pro imperio exheredare. Parentibus siquidem liberos exheredare licet,<sup>4</sup> quos & occidere licebat. Quod si eum exheredasset, de inofficioso testamento queri nepos hic necesse habuisset. In quo iudicio & patris delicta, & nepotis merita Centumviri examinassent, perpendissentque an ob patris vitium nepotem plecti, alienumque à substantia auita fieri, & contrà, an liberos vili, abiecta famosaque nuru susceptos ad bona aui, cuius familia labe hac aspergitur, admitti æquum esset. Hæc per transfennam interlocutum me non pœnitet, cum locus hic, adhibita nostra interpretatione planior post hac legentibus futurus, occurreret. Ut autem eò redeat vnde exiit oratio, admonendi sumus, non idem filiabus quod filiis emancipatis iuris esse. Filia namque emancipata, quoad vicesimum quintum annum attigerint, non modo primas, sed ne secundas quidem nuptias sine patris voluntate rectè contrahunt:<sup>5</sup> Quinetiam morte patris sui iuris facta, donec ad legitimam ætatem peruenerint, matris & propinquorum & curatoris,

4. l. in suis  
in fi. D. de  
lib. & post.

5. l. vidua  
& l. in cõ  
iunctioe C.  
de nuptiis.

sub cuius potestate constituta sunt, sententiam explorare necesse habent.<sup>6</sup> Quod si inter tutorem matrem & propinquos de electione futuri mariti minus conueniat, ad arbitrium magistratus erit recurrendum.<sup>7</sup> Huiusmodi quondam discordiã inter matrem & tutores M. Geganio Macerino iterum, & T. Quintio Capitolino. v. Coss. ort à Liuius memorat.<sup>8</sup> Virginẽ siquidem maximè forma notam, tum temporis duo iuuenes petiere. Vnus plebei generis, tutoribus fretus, qui & ipsi eiusdẽ ordinis erant: nobilis alter nulla re præterquã forma captus, cui mater splendidissimis nuptiis iungi filiam cupiens fauebat. Quod certamen cum domi & intra priuatos parietes componi nequisset, ventum in ius est, postulatũque matris & tutorũ vtrinque audito, magistratus secundum matris arbitrium ius nuptiarum dedere. At quæ vicesimum quintum annum egressæ sunt filia, inconsultis parentibus impunè pro arbitrio nubunt, nec pœnam exheredationis ob eam rem timent.<sup>9</sup> An verò abducendæ filia quæ sine eius voluntate nupsisset ius patri olim competeret, quæri potest. Ulpianus quidem certè benè concordantia matrimonia iure patriæ potestatis turbari non posse, patrique interdicto sibi filiam exhiberi desideranti persuadendum, ne acerbè patriam exerceat potestatem scribit.<sup>1</sup> Imò verò de vxore exhibenda ac ducenda patrem etiam qui in potestate eam habeat, à marito rectè conueniri posse Venuleius auctor est.<sup>2</sup> Interdicto quoque succurri marito, cuius vxor inuita à parentibus detinetur, Impp. rescripserunt.<sup>3</sup> Ex illo verò generali Ulpiani axiomate, quo bene concordantia matrimonia iure patriæ potestatis non esse turbanda definit, interpretationem meo quidem iudicio accipit, quod Paulus in lib. Sententiarum scribit,<sup>4</sup> Eorum qui in patris potestate sunt, sine voluntate eius matrimonia iure non contrahi, sed contracta non solui. Porro duas eodem tẽpore vxores habere, Romæ non licuit.<sup>5</sup> Binarum verò eodem tempore contractarum nuptiarum crimen infamiae pœna vindicatum notum est. Edicto enim Prætoris, qui vel bina sponsalia eodem tempore constituta habebat, infamia notabatur.<sup>6</sup> Vnde Impp. Valerian. & Galien. Eum, inquiunt,<sup>7</sup> qui duas simul habuit vxores sine dubitatione comittatur infamia: In ea namque re non iuris effectus, quo ciues nostri plura contrahere matrimonia prohibentur, sed animi destinatio cogitatur.

6. l. 1. &  
d. l. in con-  
iunctioe C.  
de nupt.  
7. l. 1. C. de  
nuptiis.  
8. lib. iij.  
ab vr. cõd.

9. 5. causas  
Nov. ut cũ  
de appella.  
cognoscit.  
1. l. 2. §. vl.  
D. de liber.  
exhib.  
2. l. 3. D. de  
libe. exhib.  
3. l. si inui-  
ta C. de  
nupt. C. de  
liber. exhib.  
4. lib. 2.  
Tit. xix.  
5. §. ad fini-  
tatis Instit.  
de nupt.  
6. l. 1. in fi.  
l. quid er-  
go §. 1. D. de  
his qui not.  
infa.  
7. l. Eũ qui  
C. ad l. Iul.  
de adulter.

Quibus postremis verbis, ut eorum vim potestatemque breuiter explanemus, tacite obiectioni responderet. Dixisset enim aliquis, non posse quem duas uxores habere: nam manente prioris non repudiate coniugio, alteram additam coniugem uxorem esse non posse. Sed voluntatem contrahendi matrimonij non iuris effectum & coniunctionis validitatem spectari debere, Imp. ait: quemadmodum & Ulpianus factum notari tradit: Ideoque si vel cum ea quis nuptias faciat, vel spōsalia constituat, quam uxorem ducere non liceat, infamiam non eo minus effugere. Illius verò Galieni & Valeriani constitutionis vltimam partem, ut hoc obiter admoneam, Tribonianus in Tit. De donationib. ante nuptias, iunctis & additis aliquot, prout sensus desiderabat, verbis rettulit. Imp. etiam Diocletian. & Maximianus, *Neminem, inquit, qui sub ditione sit Romani nominis binas uxores habere posse, vulgò patet, cum etiam in edicto Prætoris huiusmodi viri infamia notati sint: Quam rem competens iudex inultam esse non patietur.* Vtique enim stupri crimen in posteriorem uxorem committi non dubiū est. Ex quo sequitur capitalem pœnam ei qui tale facinus admiserit, ex Cōstantini Constitutionibus, quæ supra & adulteria capite plectunt, imminere: quod & Constantini quædam Constitutio non obscure indicat, qua capitali pœnæ non esse obnoxias eas mulieres statuit, quæ viuis maritis militibus, nullo accepto de eorum sospitate nuntio, post quatuor annorum spatium alteri nupserint. Incidisse autem aliquando Romæ de duabus uxoribus simul ductis controuersiam, Crassus apud Ciceronem lib. I. de Oratore ita scribit. *Quid, quod usu memoria patrum venit, ut paterfamiliās qui ex Hispania Romam venisset, cum uxorem prægnantem in provincia reliquisset, Romæque alteram duxisset, neque vultum priori remisisset, mortuusque esset intestatò, & ex vtraque filius natus esset, mediocrisne res in controuersiam adducta est, cum quæretur de duobus ciuium capitibus, & de puero qui ex posteriore natus erat, & de eius matre? quæ si indicaretur certis quibusdam verbis non nouis nuptiis fieri cum superiore diuortium, in concubina locum duceretur.* Ac neque hîc omissendum censeo, Papyrij non minus lepidum atque festiuum, quàm prudens figmentum, quo matrē instantiùs percontantem quid in Senatu egissent patres, elusit. Actum enim in Senatu dixit, vtrum vtilius videretur, magisque

8. l. quid ergo §. cum autē factū d. de his qui not. in fa.

9. l. ea qua C. de donationib. ante nupt.

1. l. Uxor C. de repudiis.

2. Gel. li. x. Not. At. sic. cap. 23. Macrob. lib. I. ca. 6.

magisque ex Repub. esse, vnūque ut duas uxores haberet, an ut vna apud duos nupta esset. Quod vbi illa audiuit, domo trepidās egressa, ad ceteras matronas rettulit, postridiēque ad Senatum copiosa matrū familias cateruæ confluxerunt, deprecantes, vna potius ut duobus nupta fieret, quàm vni duæ. Senatoribus verò, quæ illa mulierū intēperies, & quid sibi postulatio istæ veller, mirantibus, & non ut paruæ rei prodigium, illam verecundi sexus impudicam insaniam pauescentibus, puer Papyrius publicum metum demit. Nam in medium curiæ progressus, quid ipsi mater audire institisset, quid matri ipse simulasset, sicuti fuerat, enarrauit. Nec clam me est memoriæ proditum, Helium Cæcinam Tribun. Pleb. legem habuisse scriptam, paratamque quam Iulius Cæsar se absente ferre iussisset, ut uxores liberorum quærendorum causa quas, & quot vellent ducere Quiritibus liceret. Sed ea lex promulgata non fuit: primūque ex Romanis Antonium duas in matrimonio mulieres habuisse, Plutarchus scriptum reliquit, in collatioue Demetrii & Antonij, his verbis. *ἀντώνιος δὲ πρῶτον μὴ ὄμει δύο γυναῖκας ἠγάγετο, πρᾶγμα μὴ δὲν ῥωμαίων τετολμημένον.* Valētinianus quoque Seueræ coniugis prædicatione in Iustinæ amorem pellectus, cū neque subnixum iam liberis matrimonium soluere, & uxori ex qua Gratianum susceperat, repudium mittere sustineret, neque frenis amorem, quo puellam tantopere sibi laudatam deperibat, cohibere posset, alteram Seueræ Iustinam uxorem superduxit, ex qua Valentinianū iuniore sustulit. Ac ut facti eius turpitudinem amoliretur, lege sanxit, ut cuiuslibet duas simul uxores habere liceret: quemadmodum Socrates, & Paul. Diacon. & Nicephorus scribunt. Sed nec ea lex accepta fuit. Nam & Iudas qui fortè hoc colroe, quod primis generis humani satoribus polygamia propagandæ ac multiplicandæ sobolis necessitate permessa fuisset, quasi maiorum vestigiis insistentes, plures sibi uxores habere licere existimabant, Imp. Theodos. Arcad. & Honor. prohibuere in diuersa sub vno tempore coniugia conuenire. Necnon Iustinianus Nouella lxxix. quæ de naturalibus liberis tractat, *εἰ τις αἰτ, νομίμως συνοικίῳ γυναῖκί άλλας ἐπεισάγειν οὐκ ἂν δύναίτο, τῆ συνοικεσίῳ συνεῶτος, καὶ ἐξ αὐτῆς νομίμως παιδοποιεῖσθαι.* An autem cōcubina uxori iure Qui-

3. Suet. in Iulio cap. 52.

4. lib. 4. hist. Ecclesiastic. cap. 30.

5. lib. xi. ap. pend. ad Europ.

6. lib. xi. hist. Ecclesiastic. ca. 33.

7. l. nemo C. de Indais.

8. l. ult. c. Commū. de manumif- sionibus. 9. l. ult. in fi. d. de di- uori. 1. l. i. c. de concub.

ritium adiūgi posset, dubitari scio. Hoc certē nec iura antiq ua, nec sua concedere Iustinianus scribit. Nam nec prudentes hoc probasse indicio est, quod Vlpianus ait, si patronus qui libertam duxerat ei concubinam adhibuisset, inde coniecturā capi nolle eum nuptam habere, quoniam cum vxore concubi na haberi non posset. Idem ipsum Constantini magni Consti tutio prohibuit, quæ ita habet. Nemini licentia concedatur con- stante matrimonio concubinā pones se habere: Quamobrem Gellius eam quæ iūcta consuetaque esset cum eo, in cuius manu man- cipiōque alia matrimonij causa foret, probrosam habitam le- ge Numæ ostendit, eiusmodique mulieres, quæ cum eo cui vxor esset, corpus miscerent, pellices appellatas, ibidem tradit.

2. lib. iiii. cap. iiii.

Quod & Caium Flaccum lib. de Iure Papyriano scripsisse Pau- lus lib. x. ad L. Iuliam & Pap. notauerat. Caterum sunt & illæ iniustæ nuptiæ, quæ a mulieribus intra luctus tempus contra- huntur: Luctus autem tempus regia lege definitum, decem mensium erat: per quos mulier abstinere à nuptiis iubeba- tur, duplici, vt Harmenopulus explicat ratione, αὐτὰ τὸ μὴ σὺν χροῖν γίνεσθαι τὸ γάμος, καὶ αὐτὰ τὸ ὀφειλομένῳ αἰδῶ καὶ πένθῳ τῷ εὐ- δεῖ. Cuius rei Plutarchus in Numa testis est ἀλλὰ τὸ τῷ μακρο- πάτῃ πένθος γένον ἐῖναι δεκαμηνῶνον, ἐφ' ὅσον καὶ χρεῖς σιν αἱ τῶν ἀπο- θανόντων γυναικες, ἢ δὲ πλεονεκτήσειαν βίην ἐγκύμονα κατεθύσεν ἐκέλευε νομοθετήσαντος. Ouid. lib. i. Fastor.

Quod satis est utero matris dum prodeat infans,  
Hoc anno statuit temporis esse satis.  
Per totidem menses à funere coniugis vxor,  
Sustinet in vidua tristia signa domo.  
Idem lib. i i i.  
Annus erat decimum cum Luna receperat orbem  
Hic numerus magno tunc in honore fuit.  
Et mox.  
Assuetos igitur numeros seruauit in anno,  
Hoc luget spatio fœmina mœsta virum.  
Quamobrem cum fœderis inter Octauii Cæsarem & Anto- nium sancienti causa, Octauiam illius sororem huic nuptum

De anno luctus in traquem muliere marito suo iam mortuo lugebant et anupti ab- tinere iubebatur.

3. l. Massu- rius D. de verb. signi.

4. lib. 4. Tit. 6.

dari placuisset, & ea legibus prohiberetur nuptias contrahere, quod M. Marcellum paulò antè mortuum lugeret, necdum de cem menses à viri morte effluxissent, per senatū legibus solui eam gratiāmque ei legitimi luctus, temporis fieri necesse fuit, vt Plutarch. in Antonio his verbis narrat, ὡς οὐκ ἔδοξε ἀμφοτέ- ροις ἀναβάντες εἰς ῥώμην ἐπετέλεον τὸν ὀκταβίαις γάμον. ἐκ ἐώτος μὲν νόμου πρὸς δὲ καὶ μνηῶν ἀδρόδς τελευτήσαντος γαμῆσθαι, τὸ δὲ οὐρη- λήτε δόγματι τὸ γένον ὀκείνης ἀείσεως & quæ sequitur. Itaq; quod apud Senecam Epist. lxxv. ad Lucilium legitur: Annum fœminis ad lugendum constituisse maiores, de anno vtique Romuli qui de- cem duntaxat mensibus constabat, vt fusè à Macrobio tra-

5. lib. 2. ca. 12.

ctatur, non de anni suis temporibus ordinata dimensione ac- ciendum est. Eodémque modò Legitimum luctus tempus in Iureconsultorum scriptis interpretandum adfirmo. Primi namque Gratianus, Valentinianus, & Theodos. Imp. luctus tempus duobus mensibus auctum, anno definire, vt ex eorū constitutione in C. Theodos. relata constat, quæ ita habet. Si qua ex fœminis perditō marito intra anni spatium alteri festinarit nubere, (parum enim temporis post decem menses seruadum adicimus,) tamen si id exiguum putemus, probrosus iniusta notis, honestioris, nobilif- que persona & decore & iure priuetur &c. Indéque colligi potest Apuleium, qui annui luctus temporis mentionē faciat, aut post eorum Imperatorum ætatem, aut eorum seculo vixisse. Apud eum enim Charite Lepolemū nuptias eius ambiētem hac excusatione repellit, quod nondum annum luctus com- pleuisset: At Caligula die suo natali, quo & Augusti templum consecrauit, vt ad spectacula quæ edebat, omnes conuenirēt, luctus inhibuisse, & præterea viduis intra constitutum legiti- mum tempus, nubere nisi prægnantes essent, concessisse fer- tur Verba Dionis, quæ hoc comprobāt hæc sunt. καὶ τὰ πέν- θη πάντα ἐπέσχευε καὶ ταῖς γυναιξὶ ταῖς τῶν ἀνδρῶν ἐστρημύταις γα- μῆσθαι καὶ πρὸς τὸ κατήκοντος γένος, ἀν γαμῆ ἐργαστὶ ἔχωσιν ἐξείναι. Plane Heliogabalus quemadmodum Xiphilin. narrat, cum Pomponio Basso è viuis sublato, quem vel ea præcipuè de causa reum postulari curauit, vt ab vxore, cuius ipse amore fla- grabat, diuelleret, eam protinus duxit, nullo ad lugendum vi- rum spatio dato Eadem obseruatione spreta, Ariadna Zeno- nis Ifaurici vxor quadragesimo à viri obitu die Anastasio nu-

6. l. i. de se- cund. nupt. Cod. Theod. 7. lib. viii. de asino aut.

1. lib. lix.

2. In *Ma-*  
*stasio.*

3. L. *Confen-*  
*su S. si vero*  
*causam C.*  
*de diuort.*

4. L. *si con-*  
*stante C. de*  
*repud.*

5. d. L. *Con-*  
*sensu S. h. ac*  
*nisi.*

6. lib.  
xlviij.

7. In *Augu-*  
*sto cap. 62.*

8. cap. 4.

9. *Sueto. in*  
*Clau. ca. 1.*

1. *Sueto. in*  
*Augusto*  
*cap. 69.*

psit, vt à Zonara \* refertur. Qua autem ratione intra annum luctus nubere mulier prohibebatur, eadem, post missum ex iusta causa repudium, alij nubendi potestatem, ex Imp. Theodof. & Valentin. cōstitutione, non habebat: \* nè, vt ipsi aiunt, de prole dubitandi occasio daretur. Idemque tempus, etiam bonagrata & communi consensu dissoluto matrimonio, expectandum mulieri esse, antequam in alterius manum conueniret, Imp. Anastasius constituit. \* Cum verò sine probabili ac legitima causa mulier à viro duerterat, conubium ei cū alio ante transactum quinquennium, non erat. \* Illud consequenter tractandum occurrit, an cum ea quæ ex alio prægnans & grauida esset, matrimonium iure contrahi potuerit. Quā quæ stionē ex facto olim accidisse, memini me apud Dionem \* legere. Nam cum ardenti Liuiæ ducendæ amore flagraret Augustus, eiusque desiderio mora inde afferri videretur, quod ea ex Nerone sextum iam mensem grauida esset, Pontifices consuluisse dicitur, an fas esset prægnantem ducere. Quod illi hac distinctione dissoluerunt, vt siquidem ex quo grauida foret, dubium atque incertum esset, nuptiæ differendæ essent: Sin autē constaret ex quo concepisset, nihil prohibere quin duceretur: Itaq; licere sibi quod libebat Augustus videns, Liuiā protinus duxit. Id quod etiā Suetonius ita paucis narrat. \* Cum Scribonia diuortium fecit, pertusus morum peruersitatem eius, ac statim Liuiā Drusillam matrimonio Tiberij Neronis & quidem prægnantem abduxit, dilexitque ac probauit vnice & perseueranter. Idem in Tyberio, \* de eius patre agens. Vxorem Liuiam Drusillam, & tunc grauidam, & iam apud se Tyberium enixam, petenti Augusto concessit: Non abs re igitur festinatas has Liuiæ nuptias, quæ nec maxima suspicione carerent, \* Antonius probri loco Augusto obiecit, \* quas etiam eleganter Prudentius ita exagitat, lib. i. contra Symmach.

*Adiecere sacrum, fieret quo Liuia Iuno,  
Non minus infamis thalami sortita cubile,  
Quam quum fraterno caluit Saturnia lecto.  
Nondum maternam partu vacauerat aluum,  
Conceptamque viri sobolem paritura gerebat*

*Pronuba, iam grauida fulcrum geniale paratur:  
Iam sponsus, saliente vtero nubentis, amicos  
Aduocat, haud sterilem certus fore iam sibi pactam.  
Vitricus ante venit tardum præferuidus ortum  
Priuigni nondum geniti, mox editur inter  
Fescennina, nouo proles aliena marito.  
Idque Deum sortes & Apollinis antra dederunt  
Consilium, nunquam melius nam cedere tedas  
Responsum est, quæ cum prægnans noua nupta iugatur.*

Quinetiam Octauiam Augusti sororem post Marcelli viri eius mortem adhuc grauidam, ventræque pleno Antonio desponsam Dio. lib. xlvij ita scribit. *ὅτι ὁ καταβίαι πλὴν τῆ καίσαρος ἀδελφίῳ γυναικί, τῷ Ἀυτοσίῳ ἐπειδὴ ὁ ἀνὴρ αὐτῆς ἐτελευτήκει κἀύσαι παρεμνηστεύσαντο, ποσούτη μετὰ βολῆ ἐχρήσαντο.* Martiam quoque vxorem tum ex se grauidam petenti Q. Hortensio Catonem Viticēsem concessisse Plutarchus refert: \* Ceterum <sup>2. In Cato-</sup> Liuia apud Augustum, Claudiū Drusum Neronem intra triū <sup>ne viticensi.</sup> mensium spatium peperit, quem natum, Augustus patri Tyberio reddidit. Ea res ioci materiā, vt Dio auctor est, \* præbuit, <sup>3. li. xlvij.</sup> indēque peruulgatus fuit Senarius Græcus, quo significatur fortunatis vel trimestres nasci liberos: Quod deinde in vulgi sermone tritum prouerbum abiit. Qua de re pro Græcis Dionis. Suetonij Latina verba subiungam: \* Patrem, ait, Claudiū Cæsaris, Drusum olim Decimum, mox Neronem prænomine, Liuia cum Au- <sup>4. In Clau-</sup> gusto grauida nupsisset, intra mensem tertium peperit. fuitque suspicio <sup>cap. 1.</sup> ex vitrico per adulterij consuetudinem procreatum. Statim certe vulgatus est versus, τοῖς εὐτυχῆσι καὶ τρίμηνια παῖδια. At vel tricesimo die pater fieri ex vxore, Caligula gloriosum duxit. Eaque gratia Miloniam Cæsoniam adulterio sibi ante cognitam & iam tum partui propinquam duxisse eum Dio narrat. \* Qua de re ita <sup>5. lib. Lix.</sup> Suetonius. \* Cæsoniam neque facie insigni, neque etate integra, ma- <sup>6. in Calig.</sup> trēmque iam ex alio viro trium filiarum, sed luxuriæ ac lasciuie perditæ, <sup>cap. 25.</sup> & ardentius & constantius amauit: vt sepe chlamide, peltaque & galea armatam, & iuxta adequitantem militibus ostenderit, amicis verò etiam nudam. Quam enixam vxorio nomine dignatus est: vno atque eodem die professus, & maritum se eius, & patrem infantis ex ea natæ.






7. In Au-  
gusto ca. 63  
8. lib. 7. ca.  
13.

Augustum porrò, ex Liua liberorum nihil quicquam sustulif  
se, infantemque vnicum qui conceptus fuerat, abortiuum &  
immaturum editum Suetonius testis est.<sup>7</sup> Ex quo interpretan  
dum est, quod ait Plinius.<sup>8</sup> *Est quaedam priuatim dissociatio corpo-  
rum & inter se sterilis, at ubi cum aliis iunxere gignunt, sicut Augu-  
stus & Liua.* Nam Augustus ex priore vxore Scribonia libe-  
ros suscepit: Vicissim & Liua ex priore viro Druso. Iūcti tamē  
inter se nihil liberorum procrearunt: Iam non nisi incestas ac  
nefarias nuptias cum virginibus Vestalibus contrahi potuisse,  
certissimum est: Heliogabalum tamen humani generis por-  
tentum, Aquiliam Seueram vestalem duxisse narrat Xiphili-  
nus in Heliogabalo, εἶτα, inquiring, τὴν πάλαι ὡς ἔχιδνα πινά-  
σσει τὸ σῶμα ἔχουσαν ἀπὸ πέμψας, ἀκυλία σεβήρα συνώκησεν, ἐκ-  
φανέστατα τῶ θεονομίαις, ἱερῶν δὲ γὰρ αὐτῆν τῆ ἐστὶ ἀσεβέστατα  
ἦσχε. Quod ita perstrinxit Lampridius in eius vita, *In virgi-  
nem vestalem incestum admisit.* Atque hæc habui, quæ de legiti-  
mis incestisque Quiritium coniugiis dicerem, quæ vt sunt, vti  
nam breuia videantur.

FINIS.

*Cassius Casus de Estremera Alsona*



De Don Gaspar Carlos de Estremosa  
De Don Gaspar Carlos de Estremosa  
De Don Gaspar Carlos de Estremosa

BRITORUM de Ritu

Vuptiarum & de iure  
Connubiorum

De Don Gaspar Carlos de Estremosa